MASTER NEGATIVE
NO. 93-81557-9

AUTHOR:

VITRINGA, ANNE JOHAN

TITLE:

DISQUISITIO DE PROTAGORAE VITA ET...

PLACE:

GRONINGAE

DATE:

[1852]

Master Negative #

93-81557-9

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Vitringa, Anne Johan. 1827-

88P92 DV Disquisitio de Protagorae vita et philosophia, quam...submittit Anne Johan Vitringa...Groningae, Zweeden, [1852]

xvi, 196 p. 23 cm.

Thesis, Groningen, 1852.

413745

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11X

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 7/12/93 INITIALS BAP

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

DISQUISITIO

DE

PROTAGORAE VITA ET PHILOSOPHIA.

DISQUISITIO

DE

Protagorae vita et philosophia,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE

RECTORIS MAGNIFICI

PETRI HOFSTEDE DE GROOT,

Theol. Doctoris, in Facultate Theologica Professoris Ordinarii,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE
ET LITTERARUM HUMANIORUM DECRETO,

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN PHILOSOPHIA THEORETICA ET LITTERIS
HUMANIORIBUS HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA GRONINGANA,

RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO OMNIUM EXAMINI SUBMITTIT

ANNE JOHAN VITRINGA,
HARDEROVICENSIS.

A. D. XVIII DECEMBRIS, A. MDCCCLII, Horâ XII.

GRONINGAE,
Apud P. VAN ZWEEDEN, Bibliopolam.

Ex typographeo heredum C. M. van Bolhuis Hoitsema.

PARENTIBUS

OPTIMIS CARISSIMIS

HAS STUDIORUM SUORUM
PRIMITIAS SACRAS ESSE
VOLUIT

Auctor.

Νοῦς ὁρῇ καὶ νοῦς ἀκούει· τἄλλα κωφὰ καὶ τυφλά.

Praeter scriptores de historia philosophiae et lexicographos, data opera de Protagora egerunt:

IAC. GEEL, *V. Cl., scripsit* Historiam criticam Sophistarum, qui Socratis aetate Athenis floruerunt, — *editam a Societate Rheno-Traiectina, quae a.* 1820 *hanc quaestionem proposuerat:* Sophistarum, qui Socratis aetate Athenis floruerunt, critica cum diligentia tradantur vita et res gestae, dicendi docendique ratio, tum placita etiam, quae in veterum scriptis, maxime Socraticorum, memorantur. Quibus rite expositis, efficiatur tandem, quid de eorum moribus, eloquentia, philosophia probabiliter existimandum sit. — *Itaque quum Vir Cl. in hoc opusculo, idque intra breve temporis spatium, omnium sophistarum, qui illa aetate floruerant, res tractare deberet; et ad materiem, quae adhuc fere inculta iacuerat, accederet, non mirum est (et quaestionis ambitus id fere requirebat) nonnulla ab ipso quum brevius, tum, ut fit, interdum levius, esse disputata. At propter has ipsas causas Viri Cl. laborem non erat quod parvi haberent Frei, Weber alii, quippe qui aedificia sua, magnam partem vitiosa*

etiam, superstruxerunt fundamento quod iecerat Geel, qui e solis antiquorum fontibus, non ex aliorum laboribus, materiem elegantissimae huius diatribes hausit.

De Protagorae Sophistae vita disquisitio *inest in* EDUARDI GEIST Progr. Paedag. *Giess.* 1827*; sed ut libelli inscriptio indicat, non est nisi disquisitio de Protagorae vita, cuius philosophia et placita non tanguntur. At quam recte Geist plurimas de Protagorae vita quaestiones iam diiudicaverit, in ipsa disquisitione nostra apparebit.*

Haec duo opuscula non novisse videtur LUDOV. FERDIN. HERBST, *qui in opere:* Philologisch-historische Studiën auf dem Akademischen Gymnasium in Hamburg, herausgegeben von Chr. Petersen, erstes Heft, Hamb. Perthes & Besser 1832, *scripsit:* des Protagoras Leben und Sophistik aus den Quellen zusammengestellt. *De libro Iac. Geel id diserte affirmat Petersen in praef. p. XIII; — programma ne memoratur quidem. At levitatem qua usus est Herbst merito culpavit* C. FR. HERMANN (Zeitschr. für Alterth., 1834, *tom. I, p.* 363 *sqq*), *qui id in primis contra illum vindicare studuit, Protagoram usum esse disciplina Democritea.*

IOH. FREI *scripsit* Quaestiones Protagoreas, *editas* Bonnae 1845. *Hic summa cura omnes veterum locos de Protagora collegit et ordine quodam disposuit, recentiorum de eo sententias accurate enarrans et plerumque refellens. Hinc quod ad Protagorae vitam et res gestas attinet non male meritus est; nam opus ostendit scriptorem munitum fuisse sagacitate et acumine critico, quae in primis historico conveniunt. At, quod in philosophorum causa praecipuum est, ut eorum philosophia ordine exponatur, id prorsus neglexit Frei, qui placita quaedam abrupta, quae apud Platonem et serioris aetatis scriptores invenerat, descripsit, sed materie collecta tam inconsulto usus est, ut sponte liqueat eum fontem praecipuum, Platonem, inspexisse sed non studiose evolvisse, aut si id fecerit, parum fructus ex hoc studio percepisse. Verbo, scriptor putavit se satis fecisse si lectoribus suis rudem indigestamque molem locorum ex antiquis auctoribus sub oculos poneret, de systemate aliquo philosophiae Protagoreae ne cogitavit quidem; quare existimo hoc opusculum reiiciendum esse inter eiusmodi libros, quos memini Hegelium alicubi dicere, facilius scribi quam legi posse. — Haec vitia rite perspexit* H. RITTER (Gött. Gel. Anz., 1845, no. 156), *qui id in primis in scriptore reprehendit eum parum iudicii adhibuisse in fontium locis utendis, et nimis studiose id semper quaesivisse ut cum aliquo recentiorum scriptorum acrem pugnam de rebus saepe futilibus consereret. Huic censurae sese opposuit Frei* (Rhein. Mus., 1847, *p.* 596 *sqq.*), *at ipsa imbecillitas huius responsi satis ostendit quam sit audax propositum contra veritatem ipsum arma movere.*

Freii libellum legerat OTTO WEBER, Hasso-Obersuhlensis, *et quum vidisset nonnullos locos, in primis scholiastarum ad Aristotelem, apud illum deësse, scripsit quoque* Quaestiones Protagoreas (*Marburg.* 1850). *At, ut inscriptio sic quoque argumentum libelli est brevis recapitulatio eorum quae dixerat Frei. Hoc tamen negari nequit eundem Platonis Theaetetum saltem accuratius et maiore cum fructu legisse, quam illum qui ei praeiverat.*

Praeter hos, quaestiones e philosophia Protagorae tractaverunt:

IOH. LUD. ALEFELD, Mutua Protagorae et Euathli sophismata, quibus olim in iudicio decertarunt, ex artis praescripto soluta. *Giess.* 1730.

IOH. CAR. BAPT. NÜRNBERGER, Protagoras der Sophist über Sein und Nichtsein. *Dortm.* 1798.

Haec tamen opuscula quae citat G. T. KRUG (Gesch. der Phil. alter Zeit. *Leipz.* 1827, *p.* 153 *sq.*), *recentiores vero ne memorant quidem, inspicere non potui.*

En, lector benevole, indicem omnium qui, quantum scio, data opera de Protagora scripserunt; longum enim foret omnes enumerare qui vel in aliis operibus, vel in diariis Germanorum hanc illamve quaestionem de Protagora attigerint.

Nos autem idem argumentum iterum tractare constituimus, ea spe ducti, fore ut labor, quem in hoc opusculo conscribendo impendimus, alios viros, nos facile superantes eruditione et doctrinae copia, eo excitaret, ut tandem Protagorae is locus in historia philosophiae antiquae adsignetur, quem in ea occupare par est virum illum, cuius doctrinam Plato in tribus dialogis primariis, — Theaeteto, Cratylo et Protagora, — oppugnavit. Nimirum, vix intelligi potest qui factum sit, ut id quod Plato fuse docuit et sponte ex eo assecuti sunt Sextus Empiricus, Proclus, alii, Protagorae doctrinam non versari in scepticismo, *sed in* sensualismo absoluto, *per tot saecula tot viros doctos effugerit. Scilicet tanti valuit praeiudicata illa opinio, Protagoram fuisse sophistam, qui, quum profiteretur se de quacunque re disputare posse, hanc ob causam de omnibus quoque dubitare atque igitur scepticis accenseri debuerit. Itaque in hac disquisitione id demonstrare conabimur:* Protagoram Democriti doctrinae, ad materialismum propensae, superstruxisse sensualismum absolutum.

Atque in causa tam gravi tamque difficili parum a me quoque praestitum esse, non est quin clare perspiciam et lubenter profitear. Ne autem aliquis, precor, ea quae mihi desunt, vitio vertat iis quorum egregia institutione usus sum.

Non tibi, Pater carissime, qui me a prima inde iuventute eo imbuisti litterarum amore, quo mihi non solum vitae, sed multo magis eius quod vitam vitalem reddit, auctor fuisti!

Non tibi, VAN BLEECK VAN RIJSEWIJK, *Vir doctissime, Gymnasii Nassavico-Velavici Rector, qui non solum fundamenta doctrinae solidioris in me iecisti, sed mihi amicus quam praeceptor esse maluisti!*

Non Vobis, BOSSCHA *et* VETH, *Viri Clarissimi, quorum scholas in Illustri Athenaeo Amstelodamensi adiisse mihi licuit, et quos grato animo e longinquo compello!*

Non Vobis, DE GREUVE, ROVERS, VALETON, DE VRIES, *Viri Clarissimi,* HECKER, *Vir Doctissime, quorum omnium ex institutione haud scio an maiorem utilitatem quam voluptatem perceperim; sed hoc bene scio, Vos singulos quum doctrina, tum consiliis et auxilio Vestris ita de me meritos esse, ut cum unoquoque Vestrum sancto quodam inviolatoque amoris vinculo coniunctum me sentiam. In primis Tecum, Clarissime* VAN HEUSDE, *Promotor aestumatissime, qui non solum summa humanitate me hoc specimen conscribentem, quoties peterem, Tua doctrina adiuvasti, sed etiam institutione Tua domestica tanta in me collocasti beneficia, quanta non dignis laudibus celebrare, sed pio gratoque animo recordari tantum possum!*

Nec parum etiam Vobis debeo, HOFSTEDE DE GROOT,

PAREAU, MUURLING, PHILIPSE, ERMERINS, ENSCHEDE, *Viri Clarissimi, quorum omnium institutione me usum esse glorior, et quibus, hac opportunitate nactus, publice gratias ago!*

Quid tandem, quum ita recorder laetos quos in hac alma Musarum sede egi annos, Vos silentio praeterirem, Commilitones dilectissimi, quibuscum arctissime coniunctum me sentio duplici vinculo, altero integerrimae amicitiae, altero carissimi illius Vindicat atque Polit, *quorum hoc mirum in modum* Mutuam Fidem *inter nos corroborat, illud dispersos propinquos tenet. Valete, Amici, pergite me ut amatis amare!*

OPUSCULI CONSPECTUS.

PARS I.

De Protagora.

SECTIO I.

Quaestiones de Protagorae Vita.

SECTIO II.

PARS II.

De Protagorae philosophia.

SECTIO I.

De sensuum perceptione, unico fonte cognitionis humanae.

SECTIO II.

De homine membro societatis humanae.

SECTIO III.

De disciplinis.

PARS I.

DE PROTAGORA.

SECTIO I.

Quaestiones de Protagorae Vita.

INTRODUCTIO.

CUR PROTAGORAE VITAM QUAESTIONUM FORMA PROPONIMUS?

De quacumque re agimus, hoc ante omnia mihi maximi momenti esse videtur, ut eam formam eligamus quae optime cum materie nostra congruat. Iam de Protagorae vita tam pauca nota sunt eaque tam dissipata, tantisque interdum temporis intervallis inter se distantia, ut narratio uno tenore procedens haudquaquam ex iis componi queat. Accedit quod de singulis viri fatis in tanta fontium discrepantia et

Virorum Doctorum tam diversis opinionibus plerumque vix quidquam affirmare audemus. Placuit igitur Protagorae vitam ita tractare, ut, fontibus allatis, nec recentiorum sententiis neglectis, dicamus quid nobis verisimiliter statui posse videatur, at ita tamen ut lector res ipsas secum retractare et suam sibi inde sententiam formare possit. Quod propositum nobis optime attingi posse videbatur Quaestionibus nonnullis propositis, in quibus potius fontes ipsos loquentes, quam auctorem dubitantem multaque e suo ipsius ingenio fingentem habes. Operae pretium autem duximus his Quaestionibus praemittere integram vitam Protagorae, uti eam descriptam habemus a Diogene Laërtio, Philostrato et Suida; quo facto lectori ipsi facultas erit fontes primarios disquisitionis nostrae cognoscendi, eumque molestia liberabimus, quoties ad locos veterum recurrendum erit, maiora horum auctorum volumina identidem inspiciendi.

Protagorae Vita e Diogene Laërtio IX, 8.

Recensuit ex Italicis codicibus nunc primum excussis C. G. COBET, Paris. Firmin Didot. 1850.

(50) Πρωταγόρας Ἀρτέμωνος ἢ, ὡς Ἀπολλόδωρος καὶ Δείνων ἐν Περσικοῖς, Μαιανδρίου Ἀβδηρίτης, καθά φησιν Ἡρακλείδης ὁ Ποντικὸς ἐν τοῖς περὶ νόμων, ὃς καὶ Θουρίοις νόμους γράψαι φησὶν αὐτόν· ὡς δ' Εὔπολις ἐν Κόλαξι, Τήιος. φησὶ γάρ.

Ἔνδον (1) μέν ἐστι Πρωταγόρας ὁ Τήιος.

Οὗτος καὶ Πρόδικος ὁ Κεῖος (2) λόγους ἀναγινώσκοντες ἠρανίζοντο· καὶ Πλάτων ἐν τῷ Πρωταγόρᾳ φησὶ βαρύφωνον εἶναι τὸν Πρόδικον. διήκουσε δ' ὁ Πρωταγόρας Δημοκρίτου. ἐκαλεῖτό τε Σοφία, ὥς φησι Φαβωρῖνος ἐν παντοδαπῇ ἱστορίᾳ. (51) καὶ (3) πρῶτος ἔφη δύο λόγους εἶναι περὶ παντὸς πράγματος ἀντικειμένους ἀλλήλοις. οἷς καὶ συνηρώτα, πρῶτος τοῦτο πράξας. ἀλλὰ καὶ ἤρξατό που τοῦτον τὸν τρόπον· ,,Πάντων χρημάτων μέτρον ἄνθρωπος, τῶν μὲν ὄντων ὡς ἐστί, τῶν δ' οὐκ ὄντων ὡς οὐκ ἔστιν.'' ἔλεγέ τε μηδὲν εἶναι ψυχὴν παρὰ τὰς αἰσθήσεις, καθὰ καὶ Πλάτων φησὶν ἐν Θεαιτήτῳ, καὶ πάντ' (4) εἶναι ἀληθῆ. καὶ ἀλλαχοῦ δέ τοῦτον ἤρξατο τὸν τρόπον· ,,Περὶ μὲν θεῶν οὐκ ἔχω εἰδέναι οὔθ' (5) ὡς εἰσὶν, οὔθ' (6) ὡς οὐκ εἰσίν· πολλὰ γὰρ τὰ κωλύοντα εἰδέναι, ἥ τ' ἀδηλότης καὶ βραχὺς ὢν (7) ὁ βίος τοῦ ἀνθρώπου.'' (52) διὰ ταύτην δὲ τὴν ἀρχὴν τοῦ συγγράμματος ἐξεβλήθη πρὸς Ἀθηναίων· καὶ τὰ βιβλί' (8) αὐτοῦ κατέκαυσαν ἐν τῇ ἀγορᾷ, ὑπὸ κήρυκι (9) ἀναλεξάμενοι παρ' ἑκάστου τῶν κεκτημένων. οὗτος πρῶτος μισθὸν εἰςεπράξατο μνᾶς ἑκατόν· καὶ πρῶτος μέρη χρόνου διώρισε καὶ καιροῦ δύναμιν. ἐξέθετο καὶ λόγων ἀγῶνας

Varietas lectionis in ed. Meibomii. Cf. Vol. II, p. 564.

(1) ἔνδοθι.
(2) ὁ Κεῖος om. in Cod. Arund.
(3) Om. καί.
(4) πάντα.
(5) εἴθ'.
(6) εἴθ'.
(7) ὢν om. in Cantabr.
(8) βιβλία.
(9) κήρυκα.

ἔθετο (1) καὶ σοφίσματα τοῖς πραγματαλογοῦσι προσήγαγε· καὶ τὴν διάνοιαν ἀφεὶς πρὸς τοὔνομα διελέχθη καὶ τὸ τῦν ἐπιπολάζον (2) γένος τῶν ἐριστικῶν ἐγέννησεν· ἵνα καὶ Τίμων φησὶ περὶ αὐτοῦ,

Πρωταγόρας (3) τ' ἐπίμικτος ἐριζέμεναι εὖ εἰδώς.

(53) Οὗτος καὶ τὸ Σωκρατικὸν εἶδος τῶν λόγων πρῶτος ἐκίνησε. καὶ τὸν Ἀντισθένους λόγον τὸν πειρώμενον ἀποδεικνύειν ὡς οὐκ ἔστιν ἀντιλέγειν, οὗτος πρῶτος διείλεκται, καθά φησι Πλάτων ἐν Εὐθυδήμῳ. καὶ πρῶτος κατέδειξε τὰς πρὸς τὰς θέσεις ἐπιχειρήσεις, ὥς φησιν Ἀρτεμίδωρος ὁ διαλεκτικὸς ἐν τῷ πρὸς Χρύσιππον. καὶ πρῶτος τὴν καλουμένην τύλην, ἐφ' ἧς τὰ φορτία βαστάζουσιν, εὗρεν, ὥς φησιν Ἀριστοτέλης ἐν τῷ περὶ παιδείας· φορμοφόρος γὰρ ἦν, ὡς καὶ Ἐπίκουρός που φησι. καὶ τοῦτον τὸν τρόπον ἤρθη πρὸς Δημόκριτον, ξύλα δεδεκὼς ὀφθείς· διεῖλέ τε τὸν λόγον πρῶτος εἰς τέτταρα, εὐχωλήν, ἐρώτησιν, ἀπόκρισιν, ἐντολήν. (54) οἱ δέ, εἰς ἑπτά, διήγησιν, ἐρώτησιν, ἀπόκρισιν, ἐντολήν, ἀπαγγελίαν, εὐχωλήν, κλῆσιν, οὓς καὶ πυθμένας εἶπε λόγων. Ἀλκιδάμας δὲ τέτταρας λόγους φησί, φάσιν, ἀπόφασιν, ἐρώτησιν, προσαγόρευσιν. πρῶτον δὲ τῶν λόγων (4) ἑαυτοῦ ἀνέγνω τὸν περὶ θεῶν, οὗ τὴν ἀρχὴν ἄνω παρεθέμεθα. ἀνέγνω δ' Ἀθήνησιν ἐν τῇ Εὐριπίδου οἰκίᾳ ἤ, ὥς τινες, ἐν τῇ Μεγακλείδου· ἄλλοι δ' (5) ἐν Λυκείῳ, μαθητοῦ τὴν φωνὴν αὐτῷ χρήσαντος Ἀρχαγόρου τοῦ Θεοδότου. κατηγόρησε δ' αὐτοῦ Πυθόδωρος Πολυζήλου, εἷς τῶν τετρακοσίων. Ἀριστοτέλης

(1) ἐποιήσατο (in ann. ἐθεάσατο, lege ἔθετο). ἐθεήσατο in Arund. et Cant.
(2) ἐπιπόλαιον.
(3) Πρωταγόρης.
(4) τὸν λόγον in Cant.
(5) Om. δ'.

δ' Εὔαθλόν φησιν. (55) Ἔστι δὲ τὰ σωζόμενα αὐτοῦ βιβλία τάδε· Τέχνη ἐριστικῶν, περὶ πάλης, περὶ τῶν μαθημάτων, περὶ πολιτείας, περὶ φιλοτιμίας, περὶ ἀρετῶν, περὶ τῆς ἐν ἀρχῇ καταστάσεως, περὶ τῶν ἐν Ἅιδου, περὶ πῶν οὐκ ὀρθῶς τοῖς ἀνθρώποις πρασσομένων, Προστακτικός, Δίκη ὑπὲρ μισθοῦ, Ἀντιλογιῶν δύο. καὶ ταῦτα μὲν αὐτῷ τὰ βιβλία. γέγραφε δὲ καὶ Πλάτων εἰς αὐτὸν διάλογον. Φησὶ δὲ Φιλόχορος, πλέοντος αὐτοῦ ἐς Σικελίαν, τὴν ναῦν καταποντωθῆναι (1)· καὶ τοῦτο αἰνίττεσθαι Εὐριπίδην ἐν τῷ Ἰξίονι. ἔνιοι δὲ (2)] κατὰ τὴν ὁδὸν τελευτῆσαι αὐτόν, βιώσαντα ἔτη πρὸς τὰ ἐνενήκοντα. (56) Ἀπολλόδωρος δέ φησιν ἑβδομήκοντα, σοφιστεῦσαι δὲ τεσσαράκοντα (3) καὶ ἀκμάζειν κατὰ τὴν τετάρτην καὶ ὀγδοηκοστὴν Ὀλυμπιάδα, ἔστι καὶ εἰς τοῦτον ἡμῶν οὕτως ἔχον·

Καὶ σεῦ (4), Πρωταγόρη, φάτιν ἔκλυον, ὡς ἄρ' Ἀθηνεῶν (5)
ἔκ ποτ' ἰὼν καθ' ὁδὸν πρέσβυς ἐὼν ἔθανες.
εἵλετο (6) γάρ σε φυγεῖν Κέκροπος πολις· ἀλλὰ σὺ μέν που
Παλλάδος ἄστυ φύγες, Πλουτέα δ' οὐκ ἔφυγες.

Λέγεται δέ ποτ' αὐτὸν ἀπαιτοῦντα τὸν μισθὸν Εὔαθλον τὸν μαθητήν, ἐκείνου εἰπόντος, „ἀλλ' οὐδέπω νίκην (7) νενίκηκα," εἰπεῖν, „ἀλλ' ἐγὼ μὲν ἂν νικήσω, ὅτι ἐγὼ ἐνίκησα

(1) καταποντισθῆναι.
(2) Om. δὲ, quod est in Cant.
(3) ἔτη.
(4) σε.
(5) Ἀθηνῶν. In Arund. Ἀθηνέων.
(6) εἵλετο in Arund.
(7) Om. νίκην.

λαβεῖν με δεῖ (1), ἐὰν δὲ σύ, ὅτι σύ." * Γέγονε δὲ καὶ ἄλλος Πρωταγόρας ἀστρολόγος, εἰς ὃν καὶ Εὐφορίων ἐπικήδειον ἔγραψε· καὶ τρίτος στωικὸς φιλόσοφος.

Animadversio critica.

Haec Protagoreae vitae enarratio est monumentum pluris faciendum quam caetera quae de sophistae fatis ab antiquitate ad nos pervenerunt. Citat enim auctor scriptores optimae notae, quorum opera maximam partem sunt deperdita, Apollodorum, Dinonem, Aristotelem, alios. At vehementer verendum est ne in locis horum scriptorum nobis ignotorum tradendis interdum non minus negligenter versatus sit quam eum Platonis scriptis usum esse deprehendimus. Ut unum alterumve exemplum huius negligentiae afferam, § 51 dicit, Platonem in Theaeteto de Protagorae philosophia scripsisse: *μηδὲν εἶναι ψυχὴν παρὰ τὰς αἰσθήσεις*, quod est alienum et a Protagorae philosophia, ut postea ipsi videbimus, nec ita a Platone enuntiatum, qui dixerat secundum Protagorae doctrinam: *οὐκ ἄλλο τί ἐστιν ἐπιστήμη ἢ αἴσθησις* (Theaet. p. 151 E). Eodem fere modo § 53 tradit Platonem in Euthydemo scripsisse: *ὡς οὐκ ἔστιν ἀντιλέγειν* quod verum quidem; at ipso dialogo (p.

(1) ἔδει.

285 D sqq.) inspecto, sponte patet hoc non de Protagora, sed de Euthydemo et Dionysodoro affirmari; sententiam vero Protagorae (*οἱ αμφὶ Πρωταγόραν*, p. 286 C.) fuisse, neminem falsa dicere posse, quia ea quae unusquisque sentit vera sunt; hinc autem minime dialecticam (*τὸ ἀντιλέγειν*) tolli, quoniam alter altero meliora sentire potest (vid. Theaet. p. 166 D. sqq.); qua de re infra fusius disputabimus. Eiusmodi autem exempla nos monent ut Laërtii testimoniis non nisi caute utamur.

Protagorae vita e Philostrato.

(ed. C. L. KAYSER, Heidelb. 1838).

Πρωταγόρας δὲ ὁ Ἀβδηρίτης (1) σοφιστὴς μὲν καὶ Δημοκρίτου ἀκροατὴς οἴκοι ἐγένετο. ὡμίλησε δὲ καὶ τοῖς ἐκ Περσῶν μάγοις κατὰ τὴν Ξέρξου ἐπὶ τὴν Ἑλλάδα ἔλασιν (2). Πατὴρ γὰρ (3) ἦν αὐτῷ Μαίανδρος (4) πλούτῳ κατεσκευασμένος (5) παρὰ πολλοὺς τῶν ἐν τῇ Θράκῃ (6), δεξάμενος δὲ καὶ τὸν Ξέρξην (7) οἰκίᾳ τε

(1) o: Πρ. ὁ Αὐδηρίτης. R: Πρωταγόρας ὁ Αβδ. σ. om. δὲ v, β, m, o, h, p, g, π: Αὐδηρίτης σ.
(2) V: τήν τοῦ Ξ. Ol.: ἐπι τῆς Ἑλλάδα. h: ἕλλησιν.
(3) r, f, k: πατὴρ γὰρ. V: πατὴρ μὲν γὰρ.
(4) r, f, v, o: μέανδρος, h: μένανδρος.
(5) v: κατασκευασμένος.
(6) R, v, p, g, π: ἐν Θράκῃ. r, f, k cum reliquis ἐν τῇ Θρακῃ.
(7) R: και τὸν Ξέρξην. V: τὸν Ξέρξην. p: τὸν ξέρξῆ (sic).

καὶ δώροις τὴν ξυνουσίαν τῶν μάγων τῷ παιδὶ παρ' αὐτοῦ εὕρετο (1). Οὐ γὰρ παιδεύουσι τοὺς μὴ Πέρσας Πέρσαι μάγοι, ἢν μὴ ὁ βασιλεὺς ἐφῇ (2). Τὸ δὲ ἀπορεῖν φάσκειν, εἴτε εἰσὶ (3) θεοὶ, εἴτε οὐκ εἰσὶ, δοκεῖ μοι Πρωταγόρας ἐκ τῆς Περσικῆς παιδεύσεως παρανομῆσαι (4). Μάγοι γὰρ ἐπιθειάζουσι (5) μὲν οἷς ἀφανῶς δρῶσι, τὴν δὲ ἐκ φανεροῦ (6) δόξαν τοῦ θείου καταλύουσιν οὐ βουλόμενοι δοκεῖν παρ' αὐτοῦ δύνασθαι (7). Διὰ μὲν δὴ τοῦτο πάσης γῆς ὑπὸ Αθηναίων ἠλάθη (8), ὡς μὲν τινες, κριθεὶς, ὡς δὲ ἐνίοις δοκεῖ, ψήφου ἐπενεχθείσης (9) μὴ κριθέντι. Νήσους δὲ ἐξ ἠπείρων ἀμείβων (10) καὶ τὰς Αθηναίων τριήρεις (11) φυλαττόμενος πάσαις θαλάτταις ἐνεσπαρμένας (12) κατέδυ πλέων ἐν ἀκατίῳ μικρῷ.

Τὸ δὲ μισθοῦ διαλέγεσθαι πρῶτος εὗρε (13), πρῶτος δὲ παρέδωκεν (14) Ἕλλησι πρᾶγμα οὐ μεμπτόν. Ἃ γὰρ σὺν δαπάνῃ

---

(1) R, r, m: εὕρατο. f: εὕρατο superscr. ε. Ceteri videntur cum E εὕρετο tenere. h: παρὰ τῷ παιδὶ αὐτοῦ.

(2) R, r, o, h, p, φ, g, e: ἐφῇ. ρ, m, Ol.: ἔφη.

(3) f: εἰσὶν. V: εἰσὶ.

(4) R: παρορμῆσαι.

(5) k: ἐπιθιάζουσι. p: μάγοι μὲν γὰρ ἐπιθειάζουσι, in marg.: ἐπικαλοῦνται τὸ θεῖον.

(6) ρ: τήν τε ἐκ φ. v: τοῦ δὲ – καταλέγουσιν. g, π: τὰ δὲ ἐκ φ.

(7) R: παρ' αὐτοῦ βούλεσθαι. φ: οὐ βαλόμενοι.

(8) f, k, g: ἠλάσθη. Alii ἠλάθη cum E, k: πάσης τῆς.

(9) R, f, r, ρ, k: ἐπενεχθείσης. V: ἐνεχθείσης. v: ἐνεχθήσης.

(10) g: om. ἀμείβων. Fortasse scripsit Philostr.: νήσους δὲ ἐξ νήσων, καὶ ἠπείρους ἐξ ἠπείρων ἀμείβων (*Kayser*).

(11) m: καί ἀθ. τρ.

(12) R: ἐνεσπαρμέναις.

(13) R, r, f, v, β: πρῶτος εὗρε. V: πρῶτος μὲν ε.

(14) R, v, β: καὶ πρῶτος π.

σπουδάζομεν, μᾶλλον ἀσπαζόμεθα τῶν προῖκα. Γνοὺς δὲ τὸν Πρωταγόραν ὁ Πλάτων (1) σεμνῶς μὲν ἑρμηνεύοντα, ἐνυπτιάζοντα (2) δὲ τῇ σεμνότητι καί που καὶ μακρολογώτερον τοῦ συμμέτρου (3) τὴν ἰδέαν αὐτοῦ μύθῳ μακρῷ ἐχαρακτήρισεν.

Index codicum in hac vita adhibitorum:

I[ae] familiae r. Vaticanus, 99. f. Florentinus bibl. Laur. Plut. LIX, 15. ρ. Vaticanus, 64. k. Havniensis, 60. R. Vaticanus, 140. β. Marcianus, 391.

II[ae] familiae m. Mediolanensis, C. 47. v. Marcianus, 392. o. Oxoniensis Coll. Nov. 1225. h. Palatinus, 132.

III[ae] familiae p. Parisinus 1696. φ. Florentinus Plut. LXIX, 30. g. Gudianus, 25. π. Parisinus, 3059. Ol. ed. Oleariana a. 1709.

V significat vulgatam lectionem non solum editionum sed etiam codicum, qui ab editionibus non discrepant.

Animadversio critica.

Quum KAYSER in praef. sua ad Flavii Philostrati *βίους σοφίστων*, p. XXV sqq. probaverit, has vitas dedicatas fuisse Antonio Gordiano, viro tum iam grandi aetate, proconsuli Africae, quam in provinciam a. 229 vel 230 p. Chr. ex SCto missus est, post consulatum una cum Alexandro Severo gestum, satis

---

(1) g: πρωταγόραν πλάτων.

(2) R, r, f, β, v: ἐνυπτιάζοντα. V: ὑπτιάζοντα.

(3) k: μακρολογώτερος. v: καί που καὶ ἐς ὀλίγα καταφεύγων τῶν ἐκ ποιητικῆς ὀνομάτων μακρολογώτερα τοῦ συμμέτρου. f: ξυμμέτρου.

certo de tempore quo hic liber scriptus est iudicare licet.

Quamquam Philostratus est uberrimus ac fere unicus fons historiae recentiorum sophistarum a Niceta usque ad Aspasium, tamen negari nequit eum parum accuratum esse testem in vitis veterum sophistarum (ib. p. XXXVII).

Quod iudicium quam maxime confirmatur hac Protagoreae vitae descriptione. Si rem accurate perpendis, paucissima sunt quae de sophista narrat: viri genus, educatio, obitus, mos pecuniam pro institutione poscendi, *μακρολογία* a Platone reprehensa.

Porro pauca haecce valde negligenter tradit: patrem Protagorae cum patre Democriti confundit, unde necessario sequitur ut ea quoque, quae de sophistae institutione narrat, sint falsa, quam tamen institutionem satis absurde tamquam fontem habet, unde Protagorae principium de diis fluxerit.

Quocirca haud magni habenda sunt ea, quae de Protagora nos docet Philostratus.

Protagorae vita e Suida.

(ed. GODOFR. BERNHARDY. Halis 1843)

Πρωταγόρας, Ἀβδηρίτης, υἱὸς Ἀρτέμωνος ἢ καὶ Μαιανδρίδου (1). τινὲς δὲ αὐτὸν καὶ Τήιον (2) ἔγραψαν. (3) οὗτος πρότερον (4) ἦν φορτοβαστάκτης. ἐντυχὼν δὲ Δημοκρίτῳ ἠράσθη λόγων, καὶ φιλοσοφήσας ἐπὶ ῥητορείαν ἐτράπη. καὶ ἐπεκλήθη πρῶτος οὗτος σοφιστής. πρῶτος δὲ (5) οὗτος τοὺς ἐριστικοὺς λόγους εὗρε, καὶ ἀγῶνα λόγων ἐποιήσατο (6), καὶ μισθὸν ἔπραξε τοὺς (7) μαθητὰς μνᾶς ἑκατόν. διὸ καὶ ἐπεκλήθη Λόγος ἔμμισθος. διδάσκαλος δὲ γέγονε καὶ τοῦ ῥήτορος Ἰσοκράτους. διεῖλέ τε πάντα λόγον πρῶτος οὗτος (8) εἰς δ', εὐχωλήν, ἐρώτησιν, ἀπόκρισιν, ἐντολήν· μετὰ δὲ τοῦτον ἕτεροι εἰς ἑπτὰ διεῖλον (9) ταῦτα· (10) διήγησιν, ἐρώτησιν, ἀπόκρισιν, ἐντολήν, εἰςαγγελίαν, εὐχωλήν, κλῆσιν. Ἀλκιδάμας δὲ τέσσαρας εἶναί φησιν ἰδέας λόγων· φάσιν, ἀπόφασιν, ἐρώτησιν, προσαγόρευσιν. τοῦ δὲ Πρωταγόρου τὰ βιβλία ὑπὸ Ἀθηναίων ἐκαύθη, διότι λόγον ποτὲ εἶπεν οὕτως ἀρξάμενος· περὶ θεῶν οὐκ ἔχω εἰδέναι, οὔτε

---

(1) MSS. Pariss. (cum V) habent *ἢ καὶ Μαιανδρίδου, ἢ Νεανδρίδου* (*Νεανδρίου* A. B. E. siletur V).

(2) *ἀυτὸν* om A. *καυτήϊον* V.

(3) *ἀνέγραψαν* Eudocia.

(4) *πρότερος* V. *πρῶτος* † V.

(5) *πρῶτός τε* A.

(6) *λόγον ἐποιήσατο* V.

(7) *εἰς τοὺς* † V.

(8) *πάντα λόγον* ante *πρῶτος οὗτος* collocavi cum A. † V. (Bernh.).

(9) Sic habet MS. A. At MSS. B. et C. et priores editt. *μετὰ δὲ τοῦτον ἕτερος εἰς ζ' διεῖλεν*: minus recte. Küst. *διεῖλον ταῦτα εἰς ἑπτά* † V.

(10) *ταῦτα* addunt A. B. E. V. Med.

ὡς εἰσὶν οὔτε (1) ὡς οὐκ εἰσί. καὶ πρεσβύτερός ἐστι Πλάτωνος τοῦ φιλοσόφου· διδάσκαλος δὲ Προδίκου τοῦ Κείου καὶ ἄλλων πόλλων.

Animadversio critica.

Quum traditiones lexicographorum vix alicujus pretii sint habendae, nisi cognoscamus fontes e quibus sua hauserint, quoniam plerumque parum accurate nec cum multo delectu critico in ipsorum materie colligenda versati sunt, eatenus omnis fere dubitatio de fide eorum quae l. l. tradit Suidas tollitur, quatenus neminem, qui paullo accuratius ea quae Laërtius de Protagora narrat perlegerit, effugiet, Suidam illius opere non solum tamquam fonte usum esse, sed id etiam excerpsisse, imo saepissime illius dicta et integras sententias servasse. Quod luculenter patebit utriusque scriptoris locis congruentibus juxta se positis :

Suidas.	*Diogenes Laërtius*
Πρωταγόρας Ἀβδηρίτης, υἱὸς Ἀρτεμῶνος ἢ καὶ Μαιανδρίδου. τινὲς δὲ αὐτὸν καὶ Τήιον ἔγραψαν.	(50) Πρωταγόρας Ἀρτέμωνος ἢ, ... Μαιανδρίου Ἀβδηρίτης . . . . ὡς δ' Εὔπολις ἐν Κόλαξι, Τήιος.
οὗτος πρότερον ἦν φορτοβα-	(53) καὶ πρῶτος τὴν καλου-

(1) εἴτε — εἴτε B.

στάκτης, ἐντυχὼν δὲ Δημοκρίτῳ ἠράσθη λόγων. (1)	μένην τύλην, ἐφ' ἧς τὰ φορτία βαστάζουσιν, εὗρεν. . . . . φορμοφόρος γὰρ ἦν. . . καὶ τοῦτον τὸν τρόπον ἤρθη πρὸς Δημόκριτον
πρῶτος δὲ οὗτος τοὺς ἐριστικοὺς λόγους εὗρε, καὶ ἀγῶνα λόγων ἐποιήσατο, καὶ μισθὸν ἔπραξε τοὺς μαθητὰς μνᾶς ἑκατόν.	(52) οὗτος πρῶτος μισθὸν εἰςεπράξατο μνᾶς ἑκατόν, ... καὶ λόγων ἀγῶνας ἔθετο (ἐποιήσατο) . . . . καὶ τὸ νῦν ἐπιπολάζον γένος τῶν ἐριστικῶν ἐγέννησεν.
διεῖλέ τε πάντα λόγον πρῶτος οὗτος εἰς δ', εὐχωλήν, ἐρώτησιν, ἀπόκρισιν, ἐντολήν· μετὰ δὲ τοῦτον ἕτεροι εἰς ἑπτὰ διεῖλον ταῦτα. διήγησιν, ἐρώτησιν, ἀπόκρισιν, ἐντολήν, εἰςαγγελίαν, εὐχωλήν, κλῆσιν.	(53) διεῖλέ τε τὸν λόγον πρῶτος εἰς τέτταρα, εὐχωλήν, ἐρώτησιν, ἀπόκρισιν, ἐντολήν. (54) οἱ δὲ εἰς ἑπτά, διήγησιν, ἐρώτησιν, ἀπόκρισιν, ἐντολήν, ἀπαγγελίαν, εὐχωλήν, κλῆσιν, οὓς καὶ πυθμένας εἶπε λόγων.
Ἀλκιδάμας δὲ τέσσαρας εἶναί φησιν ἰδέας λόγων· φάσιν, ἀπόφασιν, ἐρώτησιν, προσαγόρευσιν.	Ἀλκιδάμας δὲ τέτταρας λόγους φησί, φάσιν, ἀπόφασιν, ἐρώτησιν, προσαγόρευσιν.
τοῦ δὲ Πρωταγόρου τὰ βιβλία ὑπὸ Ἀθηναίων ἐκαύθη, διότι λόγον ποτὲ εἶπεν οὕτως ἀρξάμενος. Περὶ θεῶν οὐκ ἔχω εἰδέναι, οὔτε ὡς εἰσίν, οὔτε ὡς οὐκ εἰσί.	(51) καὶ ἀλλαχοῦ δὲ τοῦτον ἤρξατο τὸν τρόπον· περὶ μὲν θεῶν οὐκ ἔχω εἰδέναι οὔθ' ὡς εἰσίν, οὔθ' ὡς οὐκ εἰσίν . . . . (52) καὶ τὰ βιβλί' αὐτοῦ κατέκαυσαν ἐν τῇ ἀγορᾷ. . . . .

(1) Cf. *id.* v. *κοτύλη· — καὶ ἐφ' ἧς τὰ φορτία βαστάζουσιν, ἣν πρῶτος ἐφεῦρε* Πρωταγόρας· *φορμοφόρος γὰρ ἦν.*

Itaque post peractam Laërtii lectionem nihil novi docet Suidas nisi haec: Protagoram primum sophistam esse dictum, cognominatum *Λόγον ἔμμισθον* (ubi Laërtius habet *Σοφία*), fuisse magistrum Isocratis et Prodici; ad quorum singula in disquisitionibus nostris respiciemus. Aetatem sophistae satis negligenter ita definit, ut eum fuisse Platone maiorem statuat.

QUAESTIO I.

De Protagorae patria.

Vix in dubium vocari posset, Protagoram Abderis, Thraciae urbe, natum esse (1), nisi essent duo loci, qui cum caeterorum auctorum testimoniis haud convenirent.

(1) Vid. id testantes *Plat. Protag.* p. 309 C. *de Rep.* X, p. 600 C. et *Schol.; Diog. Laërt.* in vita, IX, 50 (qui affert testimonium Heraclidis Pontici); *Suidas* in v.; *Philostr.* vita *Prot.; Steph. Byz.* in v. Ἄβδηρα; *Cic. Brut.* VIII, 30; *de Nat. Deor.* I, 23, 63; *de Orat.* III, 32, 128; *Gell. N. A.* V, 3; *Apul. Florid.* IV, 18; *Amm. Marc.* XXII, 8; *Sext. Emp. Adv. Math.* VII, 48 (ed. Fabricius); *Id.*, IX, 55. *Clem. Alex. Strom.* I, p. 301 D.; *Themist. Or.* XIII, p. 161 (198 Dind.) et *Or.* XXIII, p. 289 (350); *Epist. Socr.* XVII; *Quinct. Inst.* III, 1, 10; *Minuc. Fel. Octav.* VIII; *Theoph.* ad *Autol.* III, 7; *Epiph. a. H.* III, 1088 B.

Alter horum locorum invenitur apud Diogenem Laërtium in vita, lib. IX, 50; laudat enim hic versum Eupolidis comici e fabula *κόλακες*·

Ἔνδον (1) *μέν ἐστι Πρωταγόρας ὁ Τήιος,*

cui BERGK (de reliqu. Comoed. Att. Antiq. p. 103), et MEINEKE (fragm. Comic. Ant. I, p. 490, n. X) ex Eustath. ad Odyss. hos duo versus addiderunt:

ὃς ἀλαζονεύεται μέν, ἀλιτήριος,
περὶ τῶν μετεώρων, τὰ δε χαμᾶθεν ἐσθίει.

Narrat igitur Eupolis, eumque secuti tres lexicographi (2), Protagoram fuisse Teium. Rem primum expedivit, quantum equidem scio, GRONOVIUS (3), deinde Ed. GEIST (l. l pag 4), qui, auctoribus HEROD. I, 168, et STRAB. XIV, p. 644, narrat, Teios, quum Cyrus bellum inferret Ioniae urbibus, coloniam Abderam condidisse (4). Itaque hanc ob causam Eupolis

(1) *M. Runkelius* (*Pherecratis et Eupolidis Fragm.* Lips. 1829, p. 124) dicit, Eupolin hac fabula exagitasse Calliam, Hipponici filium, eiusque adulatores, memorans Athen. XI, p. 506 et Max. Tyr. Diss. XX. Videtur ipse Protagoras invitatus a Callia convivio interfuisse. Huc igitur spectant verba *ἔνδον*—.

(2) *Steph.* v. Τέως; *Suidas*, v. Πρωταγόρας. *Eudocia* ap. Villoison Anecd. Gr. I, p. 356.

(3) Hic in edit. Gellii (1706), V, 3, p. 307, ann. 6 dicit: »Abderam quam Teiorum coloniam fuisse *Herodotus* lib. I testatur. Hinc forsan Eupolis apud Laërtium illum Teium appellavit."

(4) De Abdera colonia Teiorum vide imprimis Bayle v. *Abdere.* Monet ibi proverbium, Ἄβδηρα καλὴ Τηίων ἀποικία, male ab Erasmo expositum esse.

dicere poterat, Protagoram fuisse *origine* Teium, in primis quum non esset historicus sed poëta, cui vitio non est vertenda paullo minus accurata locutio, quae historicum sine dubio dedecet (1). Sed attendamus maxime, *τὸν Τήιον* appellatum esse Protagoram a *poëta comico*, quem non temere istud adiecisse verisimile est; et causa quidem, cur ita scripserit comicus, fortasse in eo sita est, quod notare mores sophistae voluit, apud luxuriosissimum illum Calliam commorantis. Satis enim notum est, nomine *Τηίῳ* ab antiquis vulgo intelligi Anacreontem, qui TEII natus per aliquot annos Abderae quoque degit. Quum igitur antiqui illud TEIUM legerent, statim Anacreon iis in mentem veniebat, et cum homine etiam ipsius amor vini, puerorum et mulierum (cf. SUIDAS v.) (2); quod si ad Protagoram transfers, facile patet cur sophistae h. l. a comico locus tribuatur inter adulatores et ad convivium Calliae, propter effeminatos mores et luxuriosius vitae genus satis noti. Accedebat, ut spectatores, memorato T e i o, vulgarem famam de Anacreontis moribus ad Protagoram applicarent, quod uterque, ille inter poëtas, hic inter sophistas, *κατ' ἐξοχήν* dicebatur *σοφός* (1).

(1) Attamen simile quid offendimus apud Strabonem l. l., qui Hecataeum Abderitam T e i u m dicit; quamquam in hoc uno exemplo non video satis causae cur putemus, hanc rationem Abderitas T e i o s dicendi apud antiquos recepti moris fuisse, quod putant Frei p. 4 et Weber p. 2.

(2) Vid. haec omnia de Anacreonte exponens *F. W. R i c h t e r*, *Anakreon nach seinem Leben beschrieben*, p. 14 sqq.; idem p. 17 sq. contendit, immerito Anacreonti tributam fuisse morum licentiam.

Locus alter est in Galeni de philos. hist. c. VIII: *τοὺς μὲν τῶν προτέρων φιλοσοφησάντων εὑρήκαμεν θεοὺς ἠγνοηκότας, ὡς Πρωταγόραν τὸν Ἠλεῖον καὶ Θεόδωρον τὸν Κυρηναῖον καὶ Εὐήμερον τὸν Τεγεάτην. οὐ γὰρ εἶναι θεοὺς εἰπεῖν τετολμήκασιν*, quem coniecturis explanare conati sunt Krische (2) et Frei (pag. 4). Censet enim hic pro *Πρωταγόραν τὸν Ἠλεῖον* scribendum esse: *Πρωταγόραν τὸν Ἀβδηρίτην καὶ Διαγόραν τὸν Μήλιον·* ob quam coniecturam valde reprehendit eum Weber (p. 3), qui ut Krische pro *Πρωταγόραν τὸν Ἠλεῖον* legere mavult: *Διαγόραν τὸν Μήλιον* (3). Iudicium meum de his coniecturis retinebo,

(1) De Anacreonte vid. *P l a t. Phaedr*. p. 235 C.; *Athen*. XIII, 600 D. de Protagora e. g. *P l a t. Prot*. p. 309 C., 310 E. sqq. *D i o g. Laërt*. IX, 50; cf *R i c h t e r* l. l. p. 13, docens cognomen illud intelligendum esse de recta ratione qua poëta vitae commodis frui solebat.

(2) *Forschungen auf dem Gebiete der alten Philos*. p. 131. Cf. *W e b e r* p. 3.

(3) Non nemini fortasse in mentem veniet, Galenum h. l. Protagoram Abderitam cum alio quodam Protagora E l e o confudisse. At nihil certi hac in causa definire licet, nam primum patet eum Abderitam saltem significare voluisse, quia eum posuit iuxta Theodorum et Euemerum, tum haud constat unum alterumve caeterorum Protagorarum fuisse Eleum; nam de P r o t a g o r a S t o i c o nihil notum est prae-

hoc solum monendum esse existimans, locum Galeni laudatum exigui esse momenti in Protagorae causa; nam nullo testimonio aliorum confirmatur, liber ipse spurius habetur, et illud ipsum quod h l. dicitur aperte falsum est, quoniam, ut postea videbimus, Protagoras non inter atheos recenseri potest. Vidimus igitur Eupolidis locum rite cum caeteris de Protagora testimoniis conciliari posse, et Galeni testimonium non valere ad caeterorum auctorum, quos citavimus, testimonia in dubium vocanda.

---

ter nomen a Laërtio IX, 56 memoratum; alter *Protagoras* est *Cyzicenus*. Vid. *Athen.* III, p. 124. E, IV, 162, 150. C, 176. A, 183. F; *Meinek. fragm. Com. Graec.* vol. I, p. 12; tertius *geographus*, cuius locus natalis non indicatur, memoratur a *Photio bibl. Cod.* 188, *Marciano Heracleota*, p. 37, *Geogr. Vet. Script. Graec. min.* ed. Hudson. Oxon. 1698, tom. I. Cf. eiusd. pag. 33 et 55. *Tzetz. Chil.* VII, v. 647; quartus est *Protagoras astrologus*, qui pariter a Laërtio IX, 56 memoratur, non indicato autem eius loco natali. Accedit his *Protagorides Cyzicenus*; cf. *Nic. Alex.* vs. 3 et Schol. Hunc catalogum partim exscripsi e Freii libello p. 12 sq. Cff. *Pauly, Real-Encycl.* v. Prot. et *Mueller Hist. Gr. fragm.* IV, p. 484.

QUAESTIO II.

De Protagorae patre.

Quaestio haec est: fueritne Protagoras filius Artemonis, an Maeandri (vel Maeandrii, vel Maeandridae). Illud affirmant Diog. Laërt. IX, 50, Schol. ad Plat. Remp. X, 600 C; hoc vero Apollodorus et Dinon in Persicis (quos citat Laërt. ll.), Philostratus in vita, Epiphan. adv. haer. III, p. 1088; utrumque nomen citant Suidas s. v. et Eudocia ap. Villois. p 336. Frei (p. 5) putat Artemonem esse verum nomen patris, quia nomen hoc invenitur in numis Abderitarum; quod argumentum satis refutavit Weber (p. 4). Artemon enim minime est nomen solis Abderitis proprium, contra inter caeteros Graecos quam maxime vulgare (1); neque probari potest, Maeandrium vel Maeandrum non fuisse nomen Abderitarum, quum contra de frequenti eius usu apud Iones constet (2). Weber tandem auctoritate Apollodori

---

(1) Invenitur enim hoc nomen apud *Aristoph. Acharn.* v. 815 ed. Bekker (v. 849 ed. Weise); Ἀρτέμων Ὑβάδης, apud *Boeckh.* Corp. Inscript. n. 780; porro non solum in numis Abderitis, sed etiam Milesiis, Smyrnensibus, Rhodiis, Atheniensibus, aliis; vid. *Mionnet, description de médailles antiques*, I, 364; III, 165, 199, 414. S. III, 560.

(2) e. g. Μαιάνδριος memoratur ab *Herod.* III, 142 in successoribus Polycratis, rex Samius; idem a *Plut.*

eo adducitur ut statuat Maeandrium fuisse Protagorae patrem. Quod ad auctoritatem Apollodori attinet, obiici sane potest, de quonam Apollodoro hic sermo sit non constare; nam minus verum esse, quod dicit Weber, caeteros Apollodoros semper cognominibus aut ipsorum librorum inscriptionibus distingui, Chronographum vero passim non addito titulo libri memorari, inde patet quod idem additamentum desideratur apud Apollodorum Ephillum, vid. D. L. VII, 140, 143 (quamquam posteriore loco brevi antecessit titulus libri ἐν τῇ φυσικῇ) et 157. Attamen verisimile mihi videtur hic Chronographum significari; quia una cum Dinone historico nominetur. An vero tanti habenda sit Apollodori auctoritas ut propterea caeterorum auctorum testimonia plane sint reiicienda, valde dubito. Varia conamina iam facta sunt ad haec duo nomina inter se concilianda. WELCKER in Museo Rhenano vol. III p. 425 nomen Maeandrium repetit ab aculeo quodam insectantium. BERNHARDY in editione Suidae, Halis 1843, vol. II, p. 510 in ann., nomen Maeandrii refert ad alterum Protagoram vel Protagoridem, doctum hominem Cyzicenum (1),

---

Apophth. Lac. (*Cleomen.*) p. 214 (ed. Hutten) vocatur Μαίανδρος (unde simul patet has formas saepe inter se permutatas fuisse). In numis Magnesiis et Lydiis nomen memorat *Mion*. l. l. III, 143; S. VI, 233.

(1) De eo vid. *Frei*, p. 13 in catalogo diversorum Protagorarum. Cf. sup. p. 18.

quae posterior opinio non caret quo sese commendet. At si in re tam incerta mihi quoque aliquid coniicere licet, equidem nodum alia ratione solvere malim. Etenim quamquam apud antiquos non est insuetum, viris inclytis duplicem, triplicem patrem tribui, e. g. Homero, Lycurgo, Stesichoro, Anacreonti, Democrito, tamen nomen illud Μαίανδρος suspicionem movet, id originem duxisse a fluvio Maeandro qui Lydiam a Caria dividit. Maeander autem ita notus erat apud antiquos propter frequentes flexiones et cursum impeditum, ut nomen eius antiquitus factum sit constans fere epitheton, orationibus fallacibus et insidiosis tributum. Hac sententia Cic. in Pison. 22, 53 dicit: »quos tu Maeandros, dum omnes solitudines persequeris, quae deverticula flexionesque quaesisti?" Gell. XVI, 8: »Ne tu quoque in illis dialecticae gyris atque Maeandris, tamquam apud Sirenios scopulos, consenescas". Amm. Marc. XXX, 1: »Hi locorum gnaritate confisi, quod ille, ut peregrinus et insuetus, Maeandros faciebat et gyros." Prud. Cath. VI, 142: »O tortuose serpens, qui mille per Maeandros fraudesque flexuosas agitas quieta corda". Cf. id. VII, 124: »ventris Maeandros tortiles" (i. e. sinuosum ventris recessum). Hinc Festus *maeandrum* dicit »genus picturae esse, dictum a similitudine flexus amnis, qui appellatur Maeandrus." Nonius autem »picturae genus, adsimili opere Labyrinthorum ortum, claviculis illigatum." — Quum igitur Protagoras prae cae-

teris omnibus esset famosus propter ingentem suam in utramque partem disputandi facultatem, epitheton illud M a e a n d r i f i l i u s, ipsi a comico aliquo, e. g. ab Eupolide ingeniose tributum ad hunc disputandi morem carpendum, a posterioribus scriptoribus, poëtae ironiam non intelligentibus, tamquam patris ipsius nomen recipi potuit. Nec sane minus *eloquentiae* suae quam *dialecticae* cognomen debuit; nam amabat in primis τὴν μακϱολογίαν, ita ut oratio eius infiniti fluminis, quin maris instar produceretur. (Plat. Prot. 335, 338. Cf. Philostr. vit. Sup. p. 9.) Nec nos morabitur eum non ipsum dictum fuisse Maeandrum, sed Maeandri *filium;* nam haud rara sunt exempla, quibus eximia aliqua facultas paterni nominis honore celebratur. Sic Lycurgo duplex pater tribuitur, alter Prytanis, alter Eunomus; at diserte Plut. in vita c. 2 animadvertit, Simonidem negasse, E u n o m u m fuisse Lycurgi patrem; notum est autem eius legislationem vocari Εὐνομίαν (cf. L. URLICHS Rh. Mus. 1848, p. 194 sqq.). Porro Stesichorus Himerensis vulgo habetur Euclidis filius eius, qui inter tres conditores Himerae memoratur; at in Platonis Phaedro idem dicitur E u p h e m i filius, idque verisimiliter propter celebrem παλινῳδίαν· quod εὐφ η-μεῖν opponitur ipsius κακηγορίᾳ (Phaedr. 243. A et 244. A). In eodem dialogo Phaedrus dicitur P y t h o-c l i s filius p. 244 A, ubi Ast animadvertit: » Isque (Phaedrus) filius vocatur Pythoclis, quo homo famae et

gloriae cupidus designatur" (1). Haec omnia vehementer suspicionem nostram confirmant, Protagorae patrem fuisse A r t e m o n e m, sophistam vero ipsum a comico aliquo propter dicendi ac disputandi facultatem dictum esse M a e a n d r i filium.

QUAESTIO III.

De Protagorae temporibus.

Hanc quaestionem enucleate et accurate exposuit FREI, inde a pag. 13 usque ad pag. 64; omnes Virorum doctorum hac de re sententias explosit et summa sane diligentia recensuit. Huius laborem pro more suo breviter retractavit WEBER a pag. 8 usque ad pag. 13. At quid verum esset, iam diu perspexerat GEIST, cuius sententiam integram amplectitur Frei, quamquam ita rem proposuit ac si ipse

(1) Cf. quoque *Richter*, l. l. p. 3 sq. Si Protagoras dicebatur Maeandri filius, facile quoque intelligitur, unde orta sit confusio illa nominum M a e a n d r i, M a e-a n d r i i, M a e a n d r i d a e, quorum posteriora ipsi Protagorae, non eius patri convenirent.

nodum solvisset, nusquam auctorem suum laudans; quod certe non est summae humanitatis.

Et varias quidem vias inierunt Viri docti ad Protagorae aetatem definiendam. Alii tamquam fundamentum computationis posuerunt Democriti aetatem, sed partim eam negligentius computaverunt, partim non intellexerunt, ex aetate magistri non semper effici posse aetatem discipuli, quoniam hic illo potest esse maior aut minor natu (1).

Alii cum hoc argumento alterum coniunxerunt. Statuerunt enim ex Platonis dialogis satis patere, ab eo Protagoram auditum esse; quod etiamsi concederetur, tamen nihil inde sequeretur ad Protagorae aetatem accurate definiendam; nusquam enim memoriae proditum est, *quo anno* aetatis suae Protagoram audiverit (2).

Boeckh in Ephem. litt. Jenens. 1809, tom. I, p. 167 sq., e loco Laërtii IX, 56, ubi dicitur ἀκμή Protagorae incidisse κατὰ τὴν τετάρτην καὶ ὀγδοηκοστὴν ὀλυμπιάδα, concludit eum natum esse anno 474,

(1) Vid. *Frei*, p. 14—23, refutans quae scripserat *Freretus*, in Ann. Acad. regiae inscriptionum, tom. XLVII, pag. 277 sqq.; Freretum sequitur *C. F. Hermann* in Zimmermanni Diario, tom. I, 1834, p. 363.

(2) Vid. *Frei*, p. 23—44, ubi multa de Democriti aetate disputat et V. Cl. *Geel* refutat, quem tamen sequuntur *Winckelmann*, prol. ad Euthyd. p. 39 sq. et *Stallb.* disp. de Euthydemo, p. 63 et 64. Prol. ad Cratyl. p. 25, ad Protagoram, p. 25 ed. 2ª.

quia Graeci 30 aetatis anno maxime viguerunt et potissimum uxores ducere soliti sunt. Sed recte Frei animadvertit, quoties ἀκμῆς tempus memoretur, non de *certo aliquo anno* cogitari licere, sed potius de eo tempore, quo ingenii vigore quam maxime aliquis floruit; deinde citat locum Suidae ubi de Apollonio Tyaneo dicitur, ἤκμαζε μὲν ἐπὶ Κλαυδίου καὶ Γαΐου καὶ Νέρωνος καὶ μέχρι Νέρβα. Unde patet primum, ἀκμήν non esse aetatis florem sed ingenii, tum eam tantum temporis spatium complecti, ut vix liceat inde certum aliquem annum definire (1).

Clintonis computationem aetatis Protagorae (Fast. Hell. a. 444 et Append. XXI, p. 377, ed. Krueger) Frei (2) perverse exposuit. Is enim perhibet, Kruegerum in annotatione ad append. non respexisse ad Clintonis tabulam, ubi ad annum 444, auctoritate Diogenis Laërtii, IX, 56, referatur tempus in quod ἀκμή Protagorae inciderit, Kruegerum autem tabulae rationem non habuisse, sed ideo quod Democritus in libris suis Protagorae mentionem faciat (Diog. Laërt. IX, 42), hic autem illius feratur auditor, pro libitu statuisse, Protagoram fuisse Democrito decem annis maiorem, itaque natum anno 470. At, si sic statuisset Vir doct. Krueger, non delirare non potuisset. Inspecta autem eius annotatione omnino patet rem hoc modo sese habe-

(1) Vid. *Frei*, p. 44 sq.

(2) Vid. *Frei*, p. 45—47.

re: *Ἀκμή* Protagorae incidit *circa* annum 444; mortem obiit *prope* septuaginta annos natus; »igitur eum natum esse, inquit Krueger, statueris *circiter* 470, *ut* 10 annis maior fuerit Democrito, qui eum in libris suis memoraverat". Si *hoc ipso anno* 444 Protagoras triginta annos natus fuisset (1), et si eius vita septuaginta annos explevisset, natus erat a. 474; at quia neque annus 444 extra omnem dubitationem est positus, et diserte dicitur *fere* septuagenarius (i. e. minus quam septuaginta annos natus) defunctus esse, recte statui potest eum *circiter* annum 470 natum esse; nam spatii 3 vel 4 annorum in eiusmodi computatione vix ratio haberi potest. Vides igitur Clintonis et Kruegeri computationem eodem fundamento niti quo Boeckh suam, quam modo memoravimus, constituit.

Deinde Frei a p. 47 ad 58 vehementer carpit HERBSTI sententiam, qui: 1º tempus quo Protagoras floruit, ita interpretans, ut sit annus quo primum Athenas adiit vel leges Thuriis dedit (443), et deinde 40 annos per quos fuerit sophista (2) computans; et 2º ex versu Timonis sillographi (3) et loco in Theaeteto (4), efficit, Protagoram diem obiisse una cum Socrate aut

---

(1) *Ἀκμάζειν κατὰ τὴν τετάρτην καὶ ὀγδοηκοστὴν ὀλυμπιάδα*, inquit Laërtius, at non addit annum Olympiadis.
(2) *Meno*, 91. E.
(3) Cf. inf. p. 28.
(4) p. 171. D.

brevi post eum. Tandem ex locis Protagorae p. 317. C. et Diog. Laërt. IX, 55 efficit, eum fuisse 20 annos ante Socratem natum et nonagenarium defunctum esse.

Sed age, ne diutius in aliorum erroribus — errarunt enim PETERSEN, KAYSER (1) et SCHOELL (2) — referendis moremur, sed potius GEISTI sententiam enarremus, qua revera hancce difficillimam quaestionem solutam esse non sine iure existimamus (3).

1º. Ex Platonis Menone, p. 91. E: *οἶμαι γὰρ αὐτὸν ἀποθανεῖν ἐγγὺς καὶ εβδομήκοντα ἔτη γεγονότα*, et ex Diogene Laërtio IX, 56: *Ἔνιοι κατὰ τὴν ὁδὸν τελευτῆσαι αὐτὸν, βιώσαντα ἔτη πρὸς τὰ ἐνενήκοντα. Ἀπολλόδωρος δέ φησιν ἑβδομήκοντα*, tute concludi potest, Protagoram fere 70 annos implevisse, si saltem statuere licet Platonis et Apollodori testimonia maioris esse pretii quam *ἐνίων* (4).

---

(1) Vid. *Frei*, p. 58—60.
(2) Vid. *Schoell*, *Beiträge zur Kenntniss der tragischen Poësie der Griechen*, Berl. 1839, p. 104—112, eumque recensentem *Weber*, p. 12 et 13.
(3) De hac sua sententia vid. *Geist*, p. 6—10. Cff. *Frei*, p. 60—64, *Weber*, p. 11 sq.
(4) Cf. etiam *Journal des savans*, a. 1820, p. 678 in Ann. *Protagoras selon Platon mourut à 70 ans. Dans les scholies de Ruhnkenius on lit:* ἐτελεύτησε ναυαγήσας ἐτῶν σι', σοφιστεύσας ἔτη μ' (p. 185). *L'erreur est évidente, il faut lire:* ἐτῶν ο'· *les copistes ont confondu le* σ *avec* ο *selon leur usage* (Bast. Comm. palaeogr. 734) *et le signe numerique est devenu* ι. *Letronne.*

2°. Fuit Protagoras aequalis Socratis, quod constat e toto Platonis Protagora et e Diogene Laërt. IX 42: *ὃς ὁμολογεῖται κατὰ Σωκράτην γεγονέναι.*

3°. Sed ante Socratem diem obiit, quod patet e Theaeteto p 164. E, ubi Socrates dicit: *Εἴπερ γε ὁ πατὴρ τοῦ ἑτέρου μύθου* (Protagoras) *ἔζη, πολλὰ ἂν ἤμυνε· νῦν δὲ ὀρφανὸν αὐτόν ἡμεῖς προπηλακίζομεν. καὶ γὰρ οὐδ' οἱ ἐπίτροποι, οὓς Πρωταγόρας κατέλιπε, βοηθεῖν ἐθέλουσιν.* — 171. D.: *Εἰκός γε ἄρα ἐκεῖνον πρεσβύτερον ὄντα σοφώτερον ἡμῶν εἶναι· καὶ εἰ αὐτίκα ἐντεῦθεν ἀνακύψειε μέχρι τοῦ αὐχένος.... καταδὺς ἂν ὄιχοιτο ἀποτρέχων.* In Menone l.l. Socrates tamquam de mortuo de eo loquitur. — Verba Timonis, apud Sextum adv. math. IX, 57:

ἀλλὰ φυγῆς ἐπεμαίετο, ὄφρα μὴ οὕτως
Σωκρατικὸν πίνων ψυχρὸν πότον Ἄϊδι δύῃ

in ore poëtae, multo post Socratem et Protagoram viventis, vix aliud quid significant quam hoc: Protagoras effugit metu mortis, quam eandem ob causam etiam passus est Socrates.

4°. Narrat Diogenes Laërtius IX. 56: *φησὶ δὲ Φιλόχορος, πλέοντος αὐτοῦ εἰς Σικελίαν, τὴν ναῦν καταποντισθῆναι, καὶ τοῦτο αἰνίττεσθαι Εὐριπίδην ἐν τῷ Ἰξίονι.* Nescimus quo anno haec fabula Euripidis sit docta, sed quia Euripides anno 407 aut 406 diem obiit, sequitur Protagoram ante annum 407 vel 406 vitam posuisse (1).

---

(1) Non video huic Philochori testimonio fidem detrahi

5°. Legimus apud Diog. Laert. IX. 54: *Κατηγόρησε δὲ αὐτοῦ Πυθόδωρος Πολυζήλου, εἷς τῶν τετρακοσίων.* Quae verba vix aliam interpretationem admittunt quam hancce: accusavit eum Pythodorus Polizeli filius *unus e quadringentis* (1). Quadringenti viri autem regnaverunt a mense Elaphebolio anni 412, usque ad Hecatombaeon anni 411 (2). Ergo nihil obstat quominus statuamus Protagoram esse defunctum anno 411 (3).

---

propter animadversionem Kruegeri ad Clint. p. 377: »Si meminerimus quod grammatici tradunt Euripidem in Palamede Socratis mortem respexisse, non multum tribuemus Laërtio (neque enim Philochori ipsius testimonium accurate traditum habemus), Protagorae mortem in Ixione respectam fuisse." Consequentiam non video; nam si *grammatici* erraverunt, propterea nondum erravit *Philochorus* aut *Laërtius*.

(1) Verum est quidem, quod animadvertit *Krueger* ad Clint. p. 377, non *necessario* ex Laërtii loco sequi, Protagoram accusatum esse ipsis quadringentis viris rempublicam administrantibus, Pythodorum *postea* aut *antea* fortasse in eorum numero fuisse, sed Geisti interpretatio tamen eiusmodi est, ut, nisi graviora obstent, omnibus sit praeferenda, quia est simplicissima et rei naturae conveniens.

(2) Vide *K. F. Hermann*, *Griech. Antiquit.* vol. I, § 166, ann. 13. Omnes locos veterum hac de re collegit *Fritzsche*, ad Aristoph. Thesmoph. vs. 807, pag. 308.

(3) Consentientem habemus *Schleiermacherum* ad Plat. Menon. p. 538: »*diese bestimmte Angabe* (Menon. p. 91), *ist das Resultat einer möglichst sorgfältigen Nachforschung, und kann in den streitenden Nachrichten von der Lebenszeit des Mannes zum Leitfaden dienen. Nach*

Quum autem 70 fere annos vixerit, natus est anno 481 vel 480.

Haec sunt fere argumenta, quibus utitur Vir doctissimus Geist, ad id quod verum est in Protagorae causa demonstrandum, quibus, ut fecere Frei et Weber, libenter assentimur.

QUAESTIO IV.

Num baiulus fuit Protagoras et Democriti discipulus?

Notissima est haec Auli Gellii narratio in N. A. V. 3: »Protagoram, virum in studio doctrinarum egregium, cuius nomen Plato libro illi suo inclyto inscripsit, adolescentem aiunt, victus quaerendi gratia, in mercedem missum, vecturas onerum corpore suo factitavisse. Is de proximo rure in Abderam oppidum, cujus popularis fuit, caudices ligni plurimos, funiculo brevi circumdatos, portabat. Tum forte Democritus, civitatis ejusdem civis, homo ante alios virtutis et philosophiae gratia venerandus, quum egrederetur extra urbem, videt eum cum illo genere oneris, tam impedito ac tam incohibili, facile atque

den auf uns gekommenen Nachrichten starb Prot. Ol. 92, 1 *oder* 2; *war er also damals* 70 *Jahre, so war er nur* 12 *Jahre älter als Socrates.*"

expedite incedentem, et prope accedit et victuram posituramque ligni scite periteque factam considerat, petitque, ut paulum acquiscat; quod ubi Protagoras, uti erat petitum, fecit, atque itidem Democritus acervum illum et quasi orbem caudicum, brevi vinculo comprehensum, ratione quadam quasi geometrica librari continerique animadvertit, interrogavit, quis id lignum ita composuisset; et quum ille a se compositum esse dixisset, desideravit, uti solveret ac denuo in modum eundem collocaret; at postquam ille solvit ac similiter composuit, tum Democritus animi aciem solertiamque hominis non docti demiratus: mi adolescens, inquit, quum ingenium bene faciendi habeas, sunt maiora melioraque, quae facere mecum possis; abduxit eum statim, secumque habuit, et sumtum ministravit, et philosophiam docuit, et esse eum fecit, quantus postea fuit."

Huic Gellii narrationi quum fidem detrectaverint Frei, Weber, aliique quos Frei, p. 9 laudat, paucis de ea disputare lubet. Videamus itaque quid veteres auctores nos de ea doceant.

Ipsa narratiuncula a multis commemoratur; v. c. ab Athenaeo VIII, 13, p. 354. C. *ἐν δὲ τῇ αὐτῇ ἐπιστολῇ ὁ 'Επίκουρος καὶ Πρωταγόραν φησὶ τὸν σοφιστὴν ἐκ φορμοφόρου καὶ ξυλοφόρου* (1), *πρῶτον*

---

(1) Utrumque vocabulum indicat hominem infimae conditionis; et *φορμοφόροι* quidem erant qui secum portabant

μὲν γενέσθαι γραφέα Δημοκρίτου· θαυμασθέντα δ' ὑπ' ἐκείνου ἐπὶ ξύλων τινῶν ἰδίᾳ συνθέσει ἀπὸ ταύτης τῆς ἀρχῆς ἀναληφθῆναι ὑπ' αὐτοῦ καὶ διδάσκειν ἐν κώμῃ τινὶ γράμματα· ἀφ' ὧν ἐπὶ τὸ σοφιστεύειν ὁρμῆσαι· porro

---

φορμόν, i. e. stoream compositam e iuncis aquaticis (*φλέως*) vel arundine. Huius storeae duplex videtur fuisse usus, 1° ea utebantur pauperes tamquam culcita aut lecto cubiculari, 2° in ea ponebant et portabant fabas et ficos siccatas. Cf. *Bekker*, *Anecd.* I, p. 315. *Φορμός· πλέγματός τινος μεγάλου εἶδος ἐν ᾧ ἐκοιμῶντο οἱ πένητες ἢ κατετίθεντο τὰ ὄσπρια· τάχα δὲ ἡ λεγομένη ἀποκαλά.* *Idem*, p. 70. *Φορμοκοιτεῖν· τὸ ἐπὶ φορμοῦ καθεύδειν· φορμὸς δέ ἐστι πλέγμα τι ἐκ φλέω· τάττεται ἐπὶ λυπρῶς καὶ κακῶς κοιμωμένων, οὐκ ἐχόντων κνάφαλλον.* *Idem*, p. 70: *φλέως· τὸ φυόμενον ἐν τοῖς ἕλεσι φυτόν.* *Etym. Magn.* *Φορμίσκοι· καλαθίσκοι, πλεκτὰ ἀγγεῖα. ἀπὸ τοῦ φορμός, ὅ ἐστι πρόκαλυμμα, ἢ πλεκτὸν ἀγγεῖον ἐκ φλοιοῦ, ἐν ᾧ εἰώθεσαν ἰσχάδες κομίζεσθαι· ἢ κόφινον σημαίνει. Ἡσίοδος* (Opp. et D. 480)· *οἴσεις δ' ἐν φορμῷ· — κοφίνῳ.* Id. v. *φορμηδόν· κοφινηδόν. Φορμός ἐστι πλέγμα τινὸς μεγάλου εἴδους, ἐν ᾧ ἐκοιμῶντο οἱ πένητες· ἢ κατετίθεντο τὰ ὄσπρια· τάχα δὲ ἡ καλουμένη νῦν καλύβη, ἡ πλεκομένη ἀπὸ καλάμης. ἐκ τούτου δὲ καὶ τὸ φορμηδόν.* — (*Etym. Gud.* habet: — *οἱ πένητες καὶ κατετίθ.* — *καλουμένη καλύβη· νῦν ἡ πλεκομένη καλάμη· ἐκ τούτου δὲ καὶ τὸ φυρμήδην, ἐξ ἧς καὶ τὸ αὐτοφέρμων*). — Cf. *Arist. Plut.* 538: *φορμὸν ἔχειν ἀντὶ τάπητος σαπρόν*, ubi Schol. *φορμός· πᾶν πλεκτὸν, ἐνταῦθα δὲ τὸ ψιάθιον.* Cf. nota in Edit. *Bothii*, ubi memoratur *χαμεύνιον.* — In *Arist. Thesmoph.* vs. 813: *φορμὸν πυρῶν τἀνδρὸς κλέψασα* (*γυνή*). — *Diog. Laërt.* IV, 1, 6 memorat, *Speusippum* *πρῶτον εὑρεῖν ᾧ τὰ φορμία τῶν φρυγάνων εὔογκα ποιοῦσιν.*

a Diogene Laërtio IX, 53 (1). Idem autem X, 8 narrat, Epicurum in epistolis varia cognomina odiosa dedisse philosophis nonnullis, et Protagoram nominasse: *Φορμοφόρον, καὶ γραφέα Δημοκρίτου, καὶ ἐν κώμαις* (2) *γράμματα διδάσκειν.* Cf. porro Suidas v. *Πρωταγόρας*, v. *Κοτύλη*, v. *Φορμοφόρος*, Schol. ad Plat. Remp. X, 600. C. Hi igitur omnes auctores nobis confirmant fidem huius narrationis, quam nemine contra dicente veram habebimus.

Praeterea hoc quoque attendendum est, Protagoram a nonnullis veterum quos citavimus, non solum

---

(1) Sup. p. 4.

(2) Hinc *κωμῆται* dicti discipuli ap. *Arist. Nub.* vs. 966. Cff. *Dio Chrys.* XX, 9. p. 264. *Hierocl. Ed. Boisson.* p. 280, ubi memoratur *χαμαιδιδάσκαλος.* Cf. *Schneid. Lex. Gr.* Hinc egregie explicatur versus ille obscurus Eupolidis, quem in quaest. 1ª p. 15 memoravimus: *χαμᾶθεν ἔσθιει*, i. e. victum sibi quaerit *de solo*, idque quia solo incumbens litteras docebat. H. l. non possum non memorare locum in *Petavii Uranologio* p. 120, ubi *Achilles Tatius* initio *Isagoges in Arati Phaenomena*: *Μισῶ μὲν ὅστις τἀφανῆ περισκοπεῖ, φησὶν ὁ Σοφοκλῆς· καὶ ὁ κωμικὸς Ἀριστοφάνης· ὃς τἀφανῆ μεριμνᾷ, τὰ δὲ χαμόθεν* (imo *χαμᾶθεν*) *ἐσθίει, φησίν.* Versus *Aristophanis* fere simile sonat atque *Eupolideus*, quare suspicor, illo quoque Protagoram notatum fuisse. Versus *Sophoclis* invenitur inter fragmenta ex incertis tragoediis, n XC, vol. II, p. 281 ed. *Musgr.* sed pro *μέν* ibi legitur *γάρ*. At fragmentum *Aristophanis* frustra quaesivi cum in aliis editt., tum in recentissima quae prodiit apud Firmin Didot.

dici Democriti discipulum (1), sed etiam eius *scribam*, quo sponte ad eam quaestionem adducimur, qui factum sit ut philosophus scriba uteretur. Rei causam nobis invenisse videmur in fama illa apud antiquos pervagata *de Democriti caecitate*. Quum autem haec traditio cum illa arctissime cohaereat, et altera alteram confirmet, non possumus eam silentio praeterire. Consequens autem est ut haec quoque traditio a criticis illis, qui omnino negent Protagoram baiulum et Democriti discipulum fuisse, pro falsa habeatur (2). At videantur ipsa veterum hac de re testimonia: *Cicero de Fin.* V, 29, 87: »Cur haec eadem Democritus? qui (vere falsone quaereremus) dicitur oculis se privasse. Certe ut quam minime animus a cogitationibus abduceretur." Ubi Davisius, eumque secutus Madvigius, coniecit: »*non quaeremus*"; ego autem levi transpositione corrigendum esse puto: »qui, vere falsone quaeremus? dicitur certe oculis se privasse, ut —." — *Idem Tusc. Q.* V, 39, 114: »Democritus, luminibus amissis, alba scilicet discernere et atra non poterat. — Atque hic vir impediri etiam animi aciem adspectu oculorum arbitrabatur." Qua ratione se excaecasse dicatur, narrat *Plut. de*

(1) Vide praeter locos modo memoratos: *Diog. Laërt.* IX, 50; *Clem. Alex. Strom.* I, p. 301. D; *Philostr.* in vita; *Euseb. praep. evang.* XIV, 17; *Aelian. Var. hist.* I, 23.

(2) Cff. quos laudat *Mullach, Democriti fragm.*, p. 68.

curios. p. 521 D: »ψεῦδός ἐστι τὸ Δημόκριτον ἑκουσίως σβέσαι τὰς ὄψεις ἀπερεισάμενον εἰς ἔσοπτρα πυρωθέντα, καὶ τὴν ἀπ᾽ αὐτῶν ἀνάκλασιν δεξάμενον, ὅπως μὴ παρέχωσι θόρυβον, τὴν διάνοιαν ἔξω καλοῦσαι πολλάκις, ἀλλ᾽ ἐῶσιν ἔνδον οἰκουρεῖν καὶ διατρίβειν πρὸς τοῖς νοητοῖς." Eadem fere ratione *Laberius* in mimo *Restione*, apud Gell. N. A. X, 17: »Democritus *clypeum* constituit contra exortum Hyperionis, oculos effodere ut posset splendore aereo. Ita radiis solis aciem effodit luminis, malis bene esse ne videret civibus." — *Himerius* apud Phot. Bibl. p. 581: »ἑκὼν δὲ ἐνόσει σῶμα Δημόκριτος, ἵνα ὑγιαίνῃ τὰ κρείττονα." — At *Tertull.* in *Apol.* c. 46 aliud consilium fingit: »Democritus excaecando semet ipsum, quod mulieres sine concupiscentia aspicere non posset et doleret, si non esset potitus, incontinentiam emendatione profitetur." Intelligunt, non diserte memorant Democritum *Hieron. adv. Jovin.* II, 127; *ad Abigaum*, Ep. 32, p. 205, *Porph. de Abstin.* I, 36. Visus est *Plutarchus* solus negare Democriti caecitatem, sed loco perpenso patet, negasse eum, *consulto* visum sibi eripuisse philosophum, qui recte sciret sensibus uti, abuti nesciret. Eodem quoque pertinet dubitatio Ciceronis; quem, dubitari posse an vere oculis se privaverit sophista, non fugit; lumina eundem amisisse nec negat, nec dubitavit. *Invito* igitur ei tanta calamitas accidit, explorandi studio parta. Hae igitur traditiones de Protagora scriba

et de Democrito caeco, a sciptoribus separatim memoratae, mirum in modum sese invicem confirmant. Addamus, quod iam alicuius momenti est habendum, Philostratum (sup. p. 7) diserte tradidisse, Protagoram Δημοκρίτου ἀκροατὴν οἴκοι γένεσθαι. Quod sane non, ut vertitur, auditorem *in patria* significat, sed *domesticum* auditorem. (Cf. Gell. sup. p. 31.) Itaque cuius ministerio domi caecus utebatur, eum remunerabatur ingenti disciplinae beneficio.

Sed alia quoque sunt, quae Gellii narrationem confirment. Omnes quos memoravimus scriptores narrant, Protagoram fuisse humilis conditionis (1), imo victum sibi quaesivisse munere scribae et litteras in pagis docendo; Plato eum narrat in Protagora p. 349 A. *omnium primum mercedem pro institutione sua pepigisse* (2), quod certe non *primus* fecisset nisi pauper-

(1) His omnibus de humili conditione Protagorae consentientibus opponitur locus *Philostrati in vita Prot.*, ubi narrat de divitiis patris Protagorae, Xerxem hospitio excipientis, qui magos Abderae reliquisset, quorum institutione uteretur Protagoras. At quum idem de Democriti patre tradatur a *Diogene Laërt.* IX, 34 et *Val. Max.* VIII, 7, 4, vix dubitari potest, hanc Philostrati de Protagorae patre narrationem ex eius negligentia aut memoriae errore explicandam esse. Cf. omnino *Kayseri* ann. ad *Philostr.* l. l., et sententia *C. F. Hermanni* infr. p. 40. *Mullach* l. l. p. 38, quamquam nullo iure hanc quoque traditionem inter fabellas reiicit, tamen agnoscit patrem Democriti ditissimum fuisse.

(2) Cf. etiam *Diog. Laërt.* IX, 52.

tate coactus. Tandem exemplum Diagorae qui, Suida teste (1), etiam ex Democriti servo discipulus eiusdem factus est, me permovet ut minime de veritate narrationis Gellii dubitem.

Nec causa est cur miremur (2) Democritum eum discipulum suum fecisse, qui lignum tam apte composuisset. Scimus enim philosophum diligentissime semper attendisse ad res omnes sub adspectum cadentes; scimus eum in longis suis itineribus sibi comparavisse maiorem quam vulgarem cognitionem naturae humanae; quid igitur mirum, quum videret lignum illud compositum *ratione quadam quasi geometrica*, si in viro humili praeclarum ingenium inesse suspicatus sit eumque scribam sibi adsciverit.

At gravior oritur difficultas in temporum rationibus sita. Si enim Democritus natus est anno 460 (quod probare studet Frei p. 24 sqq.), et Protagoras anno 480, non potuit hic illius fuisse discipulus. Sumamus Democritum fuisse 20 annos natum, quum Protagoram inter discipulos suos elegerit, sequitur Protagoram tunc iam quadragesimum aetatis annum attigisse; at 70 annos vixit, non potuit igitur, ut Plato (Men.

(1) Vid. *Suid.* v. Διαγόρας.

(2) Quod satis inepte fecit *Weber*, p. 5: »nam quis »eum, qui lignum bene componere scit, ad philosophiae »studium aptum esse putet?" — Qua in re videtur ei praeiisse *Mullach*, *Democr. fragm.* p. 29.

91, E.) et Diogenes (IX, 56) aiunt, per 40 annos munus sophistae exercere (1).

At prorsus novam viam in definiendis Democriti temporibus iniit Vir Cl. C. FR. HERMANN, *in disputatione de philosophorum Ionicorum aetatibus*, in Progr. litter. Gott. 1849. — Postquam a p. 7 sqq. antiquorum testimoniorum hac in re repugnantias computavit, et summam ambiguitatem quae in Democriti imprimis aetate definienda cernitur, notavit (p. 11), a p. 13 inde novam disquirendi rationem in Democriti causa instituit. Animadvertit, magnam varietatem numerorum, quos antiqui historici tradunt, originem ducere e variis rationibus quibus singuli tempus belli Troiani definiverunt; quam animadversionem exemplo de tempore Syracusarum conditarum apud Eusebium et in chronico Pario illustrat. — In Democriti autem aetate definienda est locus primarius apud Laërtium IX, 41, ubi secundum Apollodorum natus esse dicitur Ol. LXXX, secundum Thrasyllum vero Ol. LXXVII, 3; inter hos numeros est discrepantia X annorum; quum autem ex Eusebio constet Apollodorum statuisse Troiam captam a. 407 ante Ol. primam, Thrasyllum vero, quod patet ex Clem. Alexandr Strom. I, p. 335 sq., a. 417 ante Ol. primam, apud utrumque auctorem

(1) Fuse de Democriti temporibus disputat *Mullach*, l. l., p. 2—36, antiquorum testimonia et recentiorum sententias hac de re examinans; eo eventu ut aeque ac *Frei* Apollodori auctoritatem sequatur.

intervallum 723 annorum a Troia capta usque ad Democritum natum habemus. At tertium annum natalem Democriti tradit Diodorus, qui ad Ol XCIV, 1, notat: *περὶ δὲ τὸν αὐτὸν χρόνον Δημόκριτος ὁ φιλόσοφος ἐτελεύτησε, βιώσας ἔτη ἐνενήκοντα*, unde sequitur eum natum esse a. 494; si huic anno idem intervallum 723 annorum, quo Apollodori et Thrasylli numeri a Troia capta distabant, computamus, in aliam epocham Troianam non minus celebrem incidimus, nimirum in annum 1217; quam epocham quoque habuisse Ephorum aliosque veteres chronologos indicat Hermann auctore Mullero, unde concludit in hunc ipsum annum 1217 re vera a Diodoro fuisse relatam epocham Troianam. Tres igitur testes de natali Democriti anno habemus: Apollodorum, qui constituit a. 460, Thrasyllum, qui habet a. 470, et Diodorum, qui proponit a. 494. Iam Vir Cl. conatur demonstrare, hoc Diodori testimonium caeteris esse praeferendum. Etenim nihil est quod vetet, Democritum iam vixisse ante Ol. LXXX, multa quae prius natum flagitent; porro nihil est quod eum ultra Ol. XCIV vixisse cogat, est vero quod vitam eius in quartum a. Chr. saeculum produci vetet. Et primum quidem Diodorus solus est, qui annum hominis fatalem ita tradat, ut eum non computando demum assecutus esse, sed certo veteris scriptoris testimonio una cum aliis rebus eodem anno gestis accepisse videatur; quarum etsi vinculum, quo cum De-

mocriti morte continentur, non intelligimus, tamen vix credibile est scriptorem, cuius neutiquam is mos est ut quacumque occasione clarorum virorum obitus commemoret, huic potissimum locum daturum fuisse sine idonea causa, qua ad illum annum eius memoriam traditam invenisset. Deinde hac sola ratione constabit fama de Xerxis apud Democriti patrem commoratione (Diog. Laert. IX, 34, Val. Max. VIII, 7, 4), quae cur ficta esse censeatur nulla causa est; Abderitarum enim hospitio Xerxem usum esse certa res est; inter quos si pater Democriti divitiis excellebat, plurima certe sumtuum pars in ipsum conveniebat, nec quidquam absoni habet puerum hac potissimum opportunitate usum et peregrinae doctrinae cupiditatem imbibisse et familiaritates cum regis comitibus contraxisse, quibus mox in itineribus Asiaticis non leviter adiutum esse consentaneum est. Deinde Vir Cl. eorum testimonia reiicit inter fabellas qui Democritum vel ultra centesimum annum vixisse volunt; tandem Protagoram Democriti discipulum memorat, quo tamen argumento nobis hoc loco uti haud licet.

Hanc Hermanni computationem, qua Democritus natus est a. 494, defunctus a. 404, si sequimur — et multa sunt quae nobis, ipsius auctoris argumentis accurate inspectis, persuadeant ita statuendum esse — omnis tollitur difficultas, in temporum rationibus sita, quae vetabat Protagoram usum esse disciplina Democriti.

Diutius in hac quaestione moratus sum, propterea quod Frei, Weber, alii omni ratione nobis persuadere student, Protagoram non fuisse Democriti discipulum sed Heracliti. Contendunt etiam philosophiae Protagoreae originem quaerendam esse in philosophia Heracliti, qua de re tunc erit opportunus disputandi locus, quum viderimus qualis sit illa philosophia Protagorae. Hoc loco nihil aliud demonstrare conati sumus nisi hoc, nec cum veterum testimoniis, nec cum rei natura, nec cum temporum rationibus pugnare si quis contendat, Protagoram fuisse Democriti discipulum.

QUAESTIO V.

De priore Protagorae itinere Athenas.

Protagoram bis Athenis fuisse nobis tradit Plato in Prot. p. 310 E, ubi Hippocrates dicit: *ἐγὼ γὰρ ἅμα μὲν καὶ νεώτερός εἰμι, ἅμα δὲ οὐδὲ ἑώρακα Πρωταγόραν πώποτε οὐδ' ἀκήκοα οὐδέν· ἔτι γὰρ παῖς ἦ, ὅτε τὸ πρότερον ἐπεδήμησεν.* Tempus autem quo primum hocce iter factum sit, accurate definiri nequit. Frei (p. 65), eumque secutus Weber (p. 13 sq), proponunt annum 451. Posterior causam addit cur Frei hunc annum statuerit, nimirum

primum hocce iter initium esse unde tempus 40 annorum per quod sophista fuit, sit computandum. At minus recte, opinor; nam 40 illi anni potius computandi sunt ab eo inde tempore quo ipse iam adultus a Democrito in disciplinam acceptus fuit. Sed videamus an alia indicia apud Platonem invenire possimus. Hippocrates ille eo tempore, quo Protagoras Athenas redit, **νεανίσκος** adhuc est (Prot. 317 E, 318 A, D.), qui vehementer desiderans institutione sophistae uti, ideo quod ipse iunior est, Socratem maiorem natum rogat, ut ipsum apud sophistam introducat. Quum autem primum Protagoras Athenis esset, idem ille Hippocrates adhuc puer erat, numquam Protagoram viderat neque audiverat. Ponamus Hippocratem tempore secundi Protagorae itineris fuisse iuvenem 17 vel 18 annorum, fortasse 12 fere anni inter duo haec itinera elapsi sunt. At e quaest. VII satis certe patebit Protagoram anno 430 Athenas rediisse, licet igitur pro priore hoc itinere circiter annum 442 ponere. Sed lubenter fatemur haec indicia nimis incerta esse, quominus aliquid certi inde concludere audeamus.

QUAESTIO VI.

Num fuit Protagoras legislator Thuriorum?

Diogenem Laërtium initio vitae Protagoreae Heraclidis Pontici testimonium memorasse vidimus, statuentis Protagoram leges scripsisse civitati Thuriorum. Quum tamen nonnulla sint quae huic testimonio adversari videantur, eaque tam gravia ut Viro Cl. GEEL persuaserint, locum Heraclidis Pontici iam antiquitus fuisse corruptum aut a Diogene male lectum, in quo pro *Protagorae* nomine *Pythagorae* fuisset aut scribendum aut legendum, unum alterumve argumentum afferre conabimur ad Heraclidis verba confirmanda aut saltem illustranda.

Et primo quidem nullam causam video cur Heraclidis testimonium, sive a Diogene ipso sit adscriptum, sive a librario postea in margine annotatum, suspectum habeamus; quum enim constet eum in libro **περὶ πολιτειῶν** egisse de civitatibus Italiae inferioris (1); quidni in libro **περὶ νόμων** scribere potuit de legibus Thuriorum?

Tum Laërtius loco memorato tantum docet Protagoram scripsisse leges Thuriis; sed haec traditio lucem suam accipit ex historia huius civitatis. Nimirum

(1) Vid. *Heracl. Pont.* περὶ πολιτ., fragm. 25.

Sybaris illa antiqua a. 510 a Crotoniatis funditus eversa, deinde a. 453 a Thessalo restaurata, sed a. 447 ab illis iterum expugnata, legatis primum Lacedaemonem, tum Athenas missis, auxilium petiverat. Tunc hi colonos miserunt, ducibus Lampone, Xenocrate, aliis, de quibus videatur BERGK l. l. (p. 52 sq.), qui urbis sedem in alium locum transtulerunt eamque Thurios nuncuparunt (1).

Quum autem Thurini illi videbant sibi legibus opus esse, consentaneum est eos legislatorem petivisse ab Atheniensibus, quorum auxilio iam antea usi erant et quibuscum maxima pars civium urbis recens conditae cognationis vinculo coniuncta erat. Vidimus autem in quaestione praecedente Protagoram hoc fere tempore Athenis affuisse. Fieri igitur potuit ut hic Thuriorum legislator fuerit.

At res probabilior fit reputantibus familiaritatem exstitisse inter Periclem et Protagoram; quod indicant duo loci apud Plutarchum, alter in vita Periclis, c. 36, ubi Xanthippus narrat patrem suum per integrum diem cum sophista disputasse; alter in consol. ad Apoll. c. 33, ubi Protagoras Periclis animi fortitudinem celebrat, quam filiis morte amissis probasset. Quum

---

(1) De his omnibus vid. *Heyne*, *opusc. acad.*, vol. II, pag. 126 sqq., de historia *Sybaris* et *Thuriorum* exponens. Porro *de Thuriorum republica* scripsit *Th. Mueller*, Gott. 1838, et *de rebus Thuriorum L. Schiller*, ib.

autem neminis Atheniensium maior opera in coloniis mittendis fuerit quam Periclis, nihil absoni habet Protagoram a Pericle electum esse ad leges Thuriis constituendas.

Nam haud inconsulto eiusmodi munus sophistae mandavissent; versabatur enim Protagorae disciplina maximam partem in re politica (1), libros de ea scripsit (2), tandem sententiam suam de iusto et legitimo deque legibus immutandis ad civitatis conditionem habemus in Theaeteto p. 172 A et 177 C.

At mirum videri potest, inter viros illos, qui Thurios missi sunt, quos recenset BERGK (l. l. p. 52 sqq.), non memorari Protagoram. Sed non necesse est ut eodem tempore quo illi munere suo functus, aut consulto Thurios missus fuerit; potuit coloniam visitare in itinere illo quo Siciliam adiit (3); potuit quoque domi leges iis scribere.

Hactenus igitur nihil nos vetat Protagoram Thuriorum legislatorem salutare; imo sunt quae Heraclidis testimonium confirmare videantur. At gravior oritur

---

(1) Vid. fabula de *Prometheo* et *Epimetheo* in *Plat.*, *Protagora*; pag. 318 E; *de rep.* X, 600, C.

(2) Vid. *Diog. Laërt.* III, 37 et 57; secundum *Aristoxenum* et *Phavorinum* Platonis *Politia* iam continebatur in *Protagorae* ἀντιλογικοῖς· ib. II, 121, Crito inscripserat librum suum Πρωταγόρας ἢ πολιτικός.

(3) Vid. *Plat. Hipp. mai.* p. 282, D; *Cic. Brut.* c. 12.

difficultas in eo sita, quod plures antiqui scriptores testantur, Charondam fuisse Thuriorum legislatorem (1); et quamquam constat Charondam ante Thurios conditos diem obiisse (2), tamen nihil impedit Thurios recipere potuisse eius leges, quas videbant vigere in Chalcidicis civitatibus, inter quas Rhegium Thuriis erat vicinum (3). Et quamquam hoc non foret unicum exemplum quo plures eiusdem civitatis legislatores feruntur, e. g. Rheginis Charondas, Helicaon, Phytius et Theaetetus, Cnidiis Archias et Eudoxus, Aetolis Scopas et Dorymachus, Cretensibus Minos, Rhadamantus, Onomacritus, Locrus, Atheniensibus Draco, Solon, Lacritus, Lycurgus, Aeschylus, Clisthenes, etc.; facile tamen repugnantia inter testimonium Heraclidis et caeterorum scriptorum, quos laudavimus, tolli potest, si accipimus sententiam MUELLERI (l. l. p. 44), coniicientis Protagoram leges Charondae Thurinorum indoli accommodasse easque emendasse et auxisse.

Et certe causa non latet cur Protagoras in primis

(1) Vid. *Diod.* XII, 11; *Plut. de Curios.* p. 519, B; *Athen.* XI, p. 508, A; *Val. Max.* VI, 5; *Themist. Or.* II, pag. 31; *Schol. ad Plat.* pag. 193.

(2) Vid. *Heyne*, l. l., p. 159 sq.; *Schiller*, p. 45.

(3) Vid. *Arist. Polit.* II, 12; *Heracl. Pont.* περὶ πολιτ. fragm. 25; *Aelian. var. hist.* III, 17; cff. *Heyne* et *Schiller*, ll. ll.; *Mueller*, pag. 41 sq.

Charondae legibus operam impenderit; quippe Charondae leges universe notae erant propter nimiam earum subtilitatem (1); imo earum ratio eiusmodi est, ut nonnullis viris doctis suspicionem moverint, earum fragmenta apud Diodorum et Stobaeum a sophista aliquo Attico serioris aetatis confecta esse; quam opinionem satis refutat Heyne l. l. p. 166 sqq.

Haec omnia quamquam egregie Heraclidis apud Laërtium testimonium confirmant, tamen hoc fortasse, non nemini displicebit, factum tanti momenti in sophistae vita tam paucis verbis et obiter a Laërtio neque usquam praeterea memoratum esse. Atqui si verum est Protagoram non ipsum leges composuisse, sed Charondae leges modo Thurinis accommodasse, nec consulto legislatorem Thurios missum fuisse, sed modo in itinere suo, Pericle rogante, eos visitasse, omnino animadvertendum est, rem non esse tam praeclaram quam primo adspectu apparebat.

(1) Vid. *Arist. Polit.* II, 12: *τῇ δὲ ἀκριβείᾳ τῶν νόμων ἐστὶ γλαφυρώτερος καὶ τῶν νῦν νομοθετῶν.* Cf. *Heyne*, l. l. pag. 163; exempla huius rei affert p. 152 sqq.

QUAESTIO VII.

De Protagorae reditu Athenas.

In exordio Platonis Protagorae Socrates sodali alicui narrat se vidisse et audivisse Protagoram, atque, prae admiratione viri sapientiae, omnium omnino, etiam pulcherrimi illius Alcibiadis oblitum esse. Sodali, non minore admiratione perculso, roganti: *Ὦ τί λεγεις; Πρωταγόρας ἐπιδεδήμηκε;* Socrates respondet: *τρίτην γε ἤδη ἥμεραν.* (p. 309 D.):

Quum igitur eo tempore, quo hoc colloquium habitum esse fingitur, Protagoras tertio die Athenas advenisset idque satis diu post priorem in hac urbe commorationem (p. 310, E), quaestio haecce plane congruit cum ea de tempore quo colloquium habitum esse fingitur.

Quominus autem hoc tempus pro certo definiatur, multa sunt quae impediant; quum vero nemo indicia, quae in ipso dialogo inveniuntur, melius et magis perspicue in luce posuisse videatur quam STALLBAUM, argumenta tradam quibus ille mihi persuasit, ut eius sententiam hac in re amplectar (1).

Statuit igitur colloquium habitum esse anno 430, quod non temere positum esse his fere argumentis probabile reddit.

(1) Vid. eius *praefatio ad Plat. Protagoram*, ed. 2ª, pag. 35 sq.

Protagoras ipse senex grandi aetate, quem constat a. 411 defunctum esse, cum Socrate adhuc iuvene colloquens inducitur (1); Alcibiades, qui iam a. 420 dux Atheniensium Peloponnesum invasit, appellatur *πρῶτον ὑπηνήτης* (2); Agatho, poëta tragicus, qui a. 417 in Lenaeis reportavit victoriam, vocatur *νέον ἔτι μειράκιον* (3); Pericles vivus commemoratur, eiusque filii, quos novimus pestilentia initio belli Peloponnesiaci exorta a. 430 obiisse, sermonibus interfuisse dicuntur (4); tandem Protagoras, teste Plutarcho in consol. ad Apollon. c. 33, a. 430 Athenis versatus est (5).

At duo loci sunt qui indicare videantur, colloquium aliquot annis post a. 430 habitum esse. Alter est p. 311 A, ubi Protagoras apud Calliam, Hipponici filium, qui iam paternorum bonorum dominus factus esset (p. 315, D), devertisse dicitur; iam vero Hipponicum constat a. 424 in proelio ad Delium inter-

(1) Vid. p. 317, C, coll. p. 320, C. et p. 314, B.
(2) Vid. init. et p. 309, B.
(3) Vid. p. 315, D.
(4) Vid. p. 319, E., p. 329, A, p. 314, E sqq.
(5) His indiciis *Weber* hoc etiam addit, Phidiam vivum in hoc dialogo commemorari (p. 311, B), quem constat mortuum esse a. 432. At ego in verbis illis nullum eiusmodi indicium invenire possum. Citat Socrates exempla clarissimorum virorum, quos ipse cognoscere potuerat Hippocrates; sed nihil refert utrum viri illi iam defuncti essent, necne.

fectum esse (1); ex quo apparet eo loco colloquium post illud demum tempus habitum intelligi

Deinde p. 327 D. Pherecratis comoedia Ἄγριοι dicitur anno superiore (πέρυσι) in scenam producta esse, quam actam testatur Athenaeus (V, p. 218, C, sqq.) praetore Aristione, a. 421. Quod si verum est, consequitur ut colloquium hoc rursus ad annum 422 referendum sit (2). Hinc Athenaeus (vid. l. l. et XI, p. 506, A) Platonem anachronismum commisisse ait (3).

Haec igitur obstant quominus colloquium ad annum 430 referamus; at Stallbaum existimat haec non esse tanti momenti ut propterea temporum ratio primo loco indicata immutetur. Et iure quidem, opinor; nam hoc constat, totam scenam dialogi nobis id tempus ante oculos ponere, quo Pericles eiusque filii adhuc in vivis erant. Nec me iudice ita clare patet Hipponicum iam fuisse defunctum; potuit partem dominii sui Calliae filio administrandum dare, nam patria potestas apud Athenienses multo levior erat quam

(1) De gente *Calliae* scripsit *Boeckh*, *Staatsh. der Ath.* tom. II, p. 14 sqq.

(2) Cf. *Stallb.* ann. ad *Prot.* p. 327, D, et *Clarisse*, *annotatio ad Thucydid. belli Pelop. epocham*, Lugd. Bat. 1838, p. 69.

(3) Athenaeum quum in hac accusatione, tum in temporibus computandis sequuntur *Clinton* et *Krueger*, ille Protagorae reditum Athenas in tabellis posuit ad annum 422; hic Platonis negligentiam carpit p. 377, ann. — Cf. quoque *Bergk. reliq. com. vet.* p. 104.

apud Romanos; potuit etiam in bellum, aliamve ob causam profectus esse. Et quod ad locum illum comoediae Ἄγριοι attinet, Plato eum memoravit ut citaret dictum ingeniosum Protagorae; quod quamvis tunc (a. 430) a sophista non potuisset dici, tamen egregie viri dicendi genus depingeret Num hanc ob causam reditus Protagorae in aliud tempus est reponendus, aut Platoni in temporum rationibus fides detrahenda, quum ad melius viri dicendi genus describendum sententiam tradens, quam aliquando ab eo usurpatam esse fortasse audiverat, non habeat rationem temporis quo re vera a viro illo dicta fuerit? (1)

Itaque e Platonis Protagora satis tu e concludi potest, sophistam a. 430 Athenas rediisse. Nec tamen eo rediit recta via e Sicilia profectus, ubi verisimile est eum ante hoc tempus versatum esse (2); nam sic quidem per Piraeeum aliumve portum Athenas adiisset; contra e Protagora, p. 310, C, discimus eum ex Oenoë advenisse, cuius nominis duo erant pagi in Attica, alter ad Marathonem situs, alter ad Eleutheras. Unde verisimile fit eum, antequam Athenas advenerit, iter fecisse per alias Graeciae regiones (vid. p. 315, A).

(1) Vid. qua ratione *Frei* p. 71 sq. has temporum difficultates removere studet; sed recte eum multis locis corrigit *Weber*, p. 15 sq.

(2) Vid. *Plat. Hipp. Mai.* p. 282, D; *Cic. Brut.* 12,

QUAESTIO VIII.

De Protagorae morte.

De Protagorae morte paulo certior fama ad nos pervenit, quam de eius vita. Hac in re igitur breviores esse possumus quam in caeteris disquisitionibus de sophistae fatis.

Scripserat initio libri sui *περὶ θεῶν· περὶ μὲν θεῶν οὐκ ἔχω εἰδέναι, οὔθ' ὡς εἰσὶν, οὔθ' ὡς οὐκ εἰσίν· πολλὰ γὰρ τὰ κωλύοντα εἰδέναι, ἥ τ' ἀδηλότης καὶ βραχὺς ὢν ὁ βίος τοῦ ἀνθρώπου* (1). Hunc librum coram concione iussu magistri recitaverat eius discipulus Archagoras Theodoti filius, sive in Euripidis, sive in Megaclidis domo, sive tandem in Lyceo (2). Propter hoc effatum de diis *ἀσεβείας* accusatus est a Pythodoro, Polyzeli filio, uno ex quadringentis (3), aut ab Euathlo, quem, teste Diogene l. l., accusatorem nominaverat Aristoteles.

---

(1) Vid. *Diog. Laërt.* IX, 51, *Suidas*, v. *Πρωτ.*; *Cic. de nat. deor.* I, 12 et 23; *Sext. Emp. adv. math.* IX, 56, et *sillus* *Timonis Phliasii* ibi laudatus; *Io. Chrysostomus Hom.* IV *in Pauli Ep.* I *ad Corinth.*; *Plato Theaet.* p. 162, D.

(2) *Diog. Laërt.* IX, 54.

(3) De hoc vid. *Bergk.* ll., p. 100 ann., ostendens eum fuisse Zenonis discipulum, eundem qui in *Parmenide* memoretur.

Fortasse hic Euathlus, unus auditorum, litem detulit ad Pythodorum (ita existimat FREI); fortasse utriusque et Pythodori et Euathli partes fuerunt in ista accusatione (quae est sententia BERGKI l. l. p. 100); fortasse etiam confusio orta est e lite illa quam Euathlus olim cum Protagora de mercede pro institutione egerat.

De modo quo damnatus est Philostratus haec tradit: *κριθεὶς, ὡς δε ἐνίοις δοκεῖ, ψήφου ἐπενεχθείσης μὴ κριθέντι·* quae verba sic intelligenda esse censeo: vel iudicio populari damnatus, vel sine iudicio populi, quum aut de crimine satis constaret, aut culpam reus ipse esset confessus (1).

De genere supplicii pariter auctores ambigunt, quum nonnulli narrent eum urbe atque agro exterminatum fuisse (2), alii eum fuisse capite damnatum (3).

Libri sophistae per praeconem ab omnibus qui eos

---

(1) Vid. *Hermann Gr. Antiq.* I, § 137.

(2) Vid. *Diog. Laërt.* IX, 52; *Philostr. in vita*, *Cic. de nat. deor.* I, 23; *Euseb. praep. evang.* XIV, 19; *Val. Max.* I, 1, 7; *Minucius Felix Octav.* VIII; *Lactant. Jr De.* IX; *Ioannes Sarisb. Policr.* V, 4, p. 261; ed. Lugd. Bat. 1639.

(3) Vid. *Ioseph. c. Ap.* II, 37; *Sext. Emp. adv. math.* IX, 56; *testimonium Timon. Phlias.* ibi memoratum; *Cyrillus c. Jul.* VI, p. 189, D; *Plut. Nic.* tom. I, p. 538, F; *Eusebius Chron. Ol.* 84; *Io. Chrysost. in Pauli Ep. ad Cor.* I, *Hom.* IV, c. 5; *Cramer Anecd. Gr.* tom. I, p. 172.

possidebant magistratus iussu sunt collecti et publice in foro combusti (1). Ipse autem, secundum Philochorum, parva cymba in Siciliam navigans naufragio periit, aut secundum alios in itinere defunctus est (2); ipse Laërtius in versibus, quos l. l. 56 adscripsit, narrat eum, Palladis urbem quum effugeret, in via mortem obiisse; in quo mortis genere Plato ludere videtur in Theaeteto p. 171 D, ubi de Protagora dicit: *καὶ εἰ αὐτίκα ἐντεῦθεν* ἀ ν α κ ύ ψ ε ι ε *μέχρι τοῦ* α ὐ χ έ ν ο ς, *πολλὰ ἂν ἐμέ τε ἐλέγξας ληροῦντα, ὡς τὸ εἰκός, καὶ σὲ ὁμολογοῦντα,* κ α τ α δ ὺ ς *ἂν οἴχοιτο ἀποτρέχων.* Quae verba *ἀνακύψειε* —, et *καταδύς* omnino non intelliguntur, nisi ea interpretere de homine iam aqua submerso, caput ex undis extollente, at mox iterum in alto mari evanescente.

Itaque de causa mortis et de ratione, qua diem obiit fere consentiunt scriptores. Hoc factum esse a. 411, iam demonstrare conati sumus supra p. 29 sq.

---

(1) Vid. ex iis quos iam citavimus: *D i o g.* IX, 52; *C i c.* l.l.; *E u s e b. praep. euang.* et *Chron.* ll. ll.

(2) Vid. *Diog.* IX, 55; *Schol. R u h n k. ad Plat.* p. 195; *P h i l o s t r a t. in vit.* (vid. supr. p. 8) eadem narrat quae Philochorus; cf. *S e x t u s E m p. adv. math.*, IX, 56, et *sillus T i m o n i s*, ib. 57.

Brevis rerum conspectus.

Singulis quaestionibus de Protagorae vita expositis hoc nobis restat peragendum, ut ea quae his disquisitionibus persecuti sumus in brevem conspectum colligamus.

Protagoras Abderita (vid. quaest I), Artemonis filius (vid. quaest. II), natus est anno 480 (vid. quaest. III).

E parentibus fere ignotis ortus, adolescens, humili conditione usus, sibi victum quaerere debebat ligno portando, in quo vilissimo munere tamen ita pellucebant rarae ingenii virtutes, quas ei natura dederat, ut Democritus, ligni acervum ratione geometrica ab eo compositum adspiciens, eum, qui natura geometra esset, inter discipulos suos susciperet et scribam sibi faceret. At Democritum non fefellit spes quam de inculto illo homine foverat; nam qui primum eius scriba fuerat, brevi post eos progressus fecit, ut munus ludimagistri in vicinia Abderae exercere posset (vid. quaest. IV).

Sed neque haec conditio excelso Protagorae ingenio placebat; ad altiora tendens patriam reliquit, et Athenas, artium et doctrinae sedem, adiit (vid. quaest. V). Longiora deinde itinera suscepit in magnam Graeciam, ubi Thuriorum leges ordinavit, et in Siciliam, ubi tunc celeberrimi illi rhetores Corax et Tisias florebant (vid. quaest. VI). Doctrina et dicendi

facultate ingentes sibi divitias comparavit, multi adolescentes e variis civitatibus, eius orationibus deliniti, sophistam comitati sunt (v. Prot. 315, sq.). Anno 430 Athenas rediit, iam dives et prae caeteris inclytus, a Callia, sophistarum illo Maecenate, hospitio exceptus, cuius domi cum Socrate coram multis auditoribus disputavit (vid. quaest. VII). Quid autem per 20 fere annos sequentes egerit, et ubinam commoratus sit, incertum est. Nam quod censet BERGK (Comment. de reliq. Com. Att. antiq. p. 102) eum post mortem Periclis Athenas reliquisse caeteramque Graeciam et Italiam peragravisse, circa annum 423 autem Athenas rediisse, nititur falsa computatione temporis, quo colloquium n Platonis Protagora habitum sit (vid. quaest. VII). Hoc vero constat, eum anno 411 septuagenarium, quum liberius sententiam suam de diis protulisset, seu potius ita iudicium suum de iis retinuisset ut dubitare videretur an revera dii essent, a Pythodoro uno e quadringentis aut Euathlo accusatum, exsilio aut capite damnatum esse. Senex parva cymba iterum Siciliam petere conatus mari submersus est (vid. quaest. VIII).

SECTIO II.

De Protagorae ingenio, moribus et studiis.

Brevem hanc disquisitionem de Protagorae vita minime nobis absolvisse videremur, nisi etiam pauca de eius ingenio, moribus et studiis adiiceremus. Etenim est haec res omnium gravissima, quum nemo affirmare audeat se hominem cognitum perspectumque habere cuius vitae fata et vitae conditionem attenderit. Tunc demum plenius de eo iudicabit, ubi sibi eum animo et agentem et loquentem proposuerit. Multa autem quae hic leviter modo attingemus, fusius tractabuntur ubi de philosophia Protagorea agemus, ex qua sola nobis licebit in ipsam viri mentem penetrare. Ut igitur Protagoram nobis tamquam vivum

ante oculos ponamus, uberrimus fons est Platonis dialogus sophistae nomini inscriptus. Nec ulla causa est cur, ut recentiores, in primis FREI et WEBER, fecerunt, Platonem minus fidum habeamus testem ad aequalium indolem cognoscendam. Sunt enim Platonis dialogi tamquam dramata, in quibus diversae personae sic agentes proponuntur ut eas, dum viverent, egisse consentaneum est (1). Hoc ut perspiciamus pauca indicia sufficiunt. Namque ut sponte patet diligenter attendentibus, suum unicuique in dialogis dicendi genus tribui, ita in dialogo Protagora neminem latet, quam diversa in eo sit oratio Socratis, Protagorae, Prodici (337 A), Hippiae (337 C.); quam diversi in eo pingantur mores Protagorae, (314 E), Hippiae (315 C), Prodici (ib.). In primis hoc elucet in *Symposio*, ubi Phaedro (178 A sq.), Pausaniae (180 C, sqq), Aristophani (185 C sqq.), Agathoni (193 E sqq), Socrati (198 A sqq), singulis suae dicendi partes tribuuntur. Si porro perpendimus, quam singulae personae in diversis dialogis eadem ratione semper agentes dicentesque recurrant, e. g. Socrates in plurimis dialogis, Phaedrus in Symposio et cognomine dialogo, Theaetetus in Sophista et cognomine dialogo, Hippias in Protagora et cognomine dialogo, alii multi, vix consentaneum est existimare, ita Pla-

(1) Cf. *Ph. G. van Heusde, Character. princ. phil. vet.* p. 99 sqq. *Init. phil. Pl.* Ed. II. p. 180 sqq. 305.

tonem ingenio indulgere potuisse ut tot *χαρακτῆρας* pro libitu fingeret; sed revera nobis facile persuademus, *πρόσωπα* illa esse *τύπους*, eosque accuratissime expressos, hominum, senum, virorum ac iuvenum, quos aut ipse cognovisset, aut quorum ab aliis accuratam sibi notionem comparavisset. Hoc modo cavendum, ne, quum Socrates dialectica sua alios irretiat, eorum responsa cum ipsorum libere loquentium sententiis confundamus. Hoc quum multi fecerint culpa quae lectori erat imputanda Platoni tribuerunt. Hanc ob causam in hac opusculi nostri parte Protagorae ingenium, mores et studia delineare conabimur ex illo dialogo, in quo ipsum tamquam dicentem agentemque habemus, i. e. e Platonis Protagora, cui nonnulli alii dialogi rei illustrandae causâ accedent.

Iam in exordio dialogi Protagoras nobis depingitur tamquam pecuniae avidissimus. Hippocrates enim media nocte festinanter Socratem adit et Socrate rogante: *μῶν τί σε ἀδικεῖ Πρωταγόρας*; leniter subridens respondet: *Νὴ τοὺς θεούς, ὦ Σώκρατες, ὅτι γε μόνος ἐστι σοφός, ἐμὲ δὲ οὐ ποιεῖ*. Ad haec vero Socrates: *ἀλλὰ, ναὶ μὰ Δία, ἂν αὐτῷ διδῷς ἀργύριον καὶ πείθῃς ἐκεῖνον, ποιήσει καί σε σοφόν* (Prot. 310 D.)

Discimus porro ex eodem dialogo eum, quum se ipse profiteretur eruditionis et virtutis magistrum,

primum huius rei mercedem sumsisse (349 A), quod testimonium confirmatur a Diogene Laërtio (IX; 52) et Philostrato (in vita) (1).

Et rei causa facile perspicitur. Erat enim Protagoras, quum in patria sua litteras docere inciperet, admodum pauper (vid. quaest. IV); itaque consentaneum est eum postea, quum iam altiore disciplina uteretur, tamen semper coactum fuisse ut doctrina sua sibi victum compararet (cf. Diog. L. IX, 50). Sed saepe id quod primo fit necessitate urgente, postea in vitium abire solet. — Nec mirum eum brevi post hac in re imitatores habuisse. De tempore saltem quo in Sicilia versatus erat, sic legimus Hippiam cum Socrate disputantem (Hipp. mai. 282, D): *ΣΩΚ. τούτων δ' ἑκάτερος* (Gorgias et Prodicus) *πλέον ἀργυρίον ἀπὸ σοφίας εἴργασται, ἢ ἄλλος δημιουργὸς ἀφ' ἥστινος τέχνης. καὶ ἔτι πρότερος τούτων Πρωταγόρας. ΙΠ. Οὐδὲν γάρ, ὦ Σώκρατες, οἶσθα τῶν καλῶν περὶ τοῦτο. εἰ γαρ εἰδείης ὅσον ἀργύριον εἴργασμαι ἐγώ, θαυμάσαις ἄν. καὶ τὰ μέν ἄλλα ἐῶ. ἀφικόμενος δέ ποτε εἰς Σικελίαν, Πρωταγόρου αὐτόθι ἐπιδημοῦντος, καὶ εὐδοκιμοῦντος, καὶ πρεσβυτέρου ὄντος, καὶ πολὺ νεώτερος ὤν, ἐν ὀλίγῳ χρόνῳ πάνυ πλέον ἢ πεντήκοντα καὶ ἑκατὸν μνᾶς εἰργασάμην. καὶ ἐξ*

(1) Recte *Frei*, p. 163 sq. refutat doct. *Wendt ad Tennem. hist. phil.* I, 495, hoc inventum Zenoni vel antiquioribus tribuentem.

ἑνός γε χωρίου πάνυ σμικροῦ, Ἰνυκοῦ, πλέον ἢ εἴκοσι μνᾶς ...... καὶ σχεδόν τι οἶμαι ἐμὲ πλείω χρήματα εἰργάσθαι ἢ ἄλλους σὺν δύο οὕστινας βούλει τῶν σοφιστῶν. Ex hac sophistae gloriatione, qui brevi temporis spatio 2½ talenta acceperat, iam quodammodo intelligi potest quam bene sophistae et Protagoras quoque sibi consulere noverint. Hoc constat, eum eo tempore, quo iterum Athenis versabatur, ingentem mercedem accipere solitum fuisse. Hoc patet e Prot. 311 D., ubi Socrates dicit: *παρὰ δὲ δὴ Πρωταγόραν νῦν ἀφικόμενοι ἐγώ τε καὶ σὺ ἀργύριον ἐκείνῳ μισθὸν ἕτοιμοι ἐσόμεθα τελεῖν ὑπὲρ σοῦ, ἂν μὲν ἐξικνῆται τὰ ἡμέτερα χρήματα καὶ τούτοις πείθωμεν αὐτόν, — εἰ δὲ μή, καὶ τὰ τῶν φίλων προσαναλίσκοντες* — ex Theaet. 161 D: *Πρωταγόρας μὲν σοφός, ὥστε καὶ ἄλλων διδάσκαλος ἀξιοῦσθαι δικαίως μετὰ μεγάλων μισθῶν.* — Ib. 178 E: *ἢ οὐδείς γ' ἂν αὐτῷ διελέγετο διδοὺς πολὺ ἀργύριον.* — ex Menone 91 D: *οἶδα γὰρ ἄνδρα ἕνα Πρωταγόραν πλείω χρήματα κτησάμενον ἀπὸ ταύτης τῆς σοφίας ἢ Φειδίαν τε, — καὶ ἄλλους δέκα τῶν ἀνδριαντοποιῶν.* Cf. Athen. III, p. 113 E. Hanc ob causam a Suida cognominatur λόγος ἔμμισθος.

Operae pretium est videre, quam diverse mos ille mercedem pro institutione pangendi diiudicetur a Platone et Philostrato. Ille enim in Gorgia p. 520 C sic Socratem contra Calliclem disputantem inducit:

καὶ προέσθαι γε δήπου τὴν εὐεργεσίαν ἄνευ μισθοῦ, ὡς τὸ εἰκός, μόνοις τουτοις (sophistis) ἐνεχώρει, εἴπερ ἀληθῆ ἔλεγον. ἄλλην μὲν γὰρ εὐεργεσίαν τις εὐεργετηθείς, ὅιον ταχὺς γενόμενος διὰ παιδοτρίβην, ἴσως ἂν ἀποστερήσειε τὴν χάριν εἰ προοῖτο αὐτῷ ὁ παιδοτρίβης καὶ μὴ συνθέμενος αὐτῷ μισθὸν ὅ τι μάλιστα ἅμα μεταδιδοὺς τοῦ τάχους λαμβάνοι τὸ ἀργύριον· οὐ γὰρ τῇ βραδυτῆτι, οἶμαι, ἀδικοῦσιν οἱ ἄνθρωποι, ἀλλ' ἀδικίᾳ. ἦ γάρ; *ΚΑΛ.* Ναί. *ΣΩΚ.* Ουκοῦν εἴ τις αὐτὸ τοῦτο ἀφαιρεῖ, τὴν ἀδικίαν, οὐδὲν δεινὸν αὐτῷ, μή ποτε ἀδικηθῇ, ἀλλὰ μόνῳ ἀσφαλὲς ταύτην τὴν εὐεργεσίαν προέσθαι εἴπερ τῷ ὄντι δύναιτό τις ἀγαθοὺς ποιεῖν. Humanissime contra Philostratum eiusdem rei rationes reddentem audias: πρῶτος δὲ παρέδωκεν Ἕλλησι πρᾶγμα οὐ μεμπτόν. ἃ γὰρ σὺν δαπάνῃ σπουδάζομεν μᾶλλον ἀσπαζόμεθα τῶν προῖκα. Contrarium hoc iudicium inde explicandum est, quod hic sophistas censet esse doctrinae magistros, ille vero eos iussit esse medicos qui animum a vitiis liberent (1).

Quanta autem fuerit pecuniae summa quam Protagorae discipuli solvere deberent, docent Diog. Laërt. IX, 52; Suidas, v. Πρωτ.; Schol. ad Plat. Remp. X, 600 C.; tradunt enim hi eam fuisse centum mi-

(1) Vid. morem illum sophistarum pecuniam pro institutione pangendi defendens *E. Zeller*, *die Philosophie der Griechen*, tom. I, p. 251 sqq. Tub. 1844.

narum (1); Quinctilianus, Inst. Or. III, 1, dicit Euathlum a Protagora artem quam edidit didicisse decem millibus denariorum (2); tandem Gellius, N. A. V, 3; narrat, Protagoram pecuniam ingentem a discipulis accepisse *annuam*. Hoc autem non videtur ita intelligi debere ac si tantum pretium poposcerit a vulgaribus auditoribus, sed potius a discipulis ἐπὶ τέχνῃ, de quo discrimine mox agemus. Caeterum nemo mirabitur non eandem pecuniae summam ab auctoribus hisce tradi; potuit ea differre et pro temporis spatio quo sophistae institutione usi erant, et pro variis disciplinis quas ex eius immensa doctrinae copia addiscere cupiebant, ita e. g. Euathlus in disciplinam eius se dedit *eloquentiae discendae causarumque orandarum* causa; contra Hippocrates eum adire vult cupiens ἐλλόγιμος *in civitate* fieri (Prot. 316 C., 318 A.).

De modo quo discipuli stipendium solvere solebant, ipsum virum habemus loquentem in Prot. 328 B. διὰ ταῦτα καὶ τὸν τρόπον τῆς πραξέως τοῦ μισθοῦ τοιοῦτον πεποίημαι. ἐπειδὰν γάρ τις παρ' ἐμοῦ μάθῃ, ἐὰν μὲν βούληται, ἀπεδέδωκεν ὃ ἐγὼ πράττομαι ἀργύριον· ἐὰν δὲ μή, ἐλθὼν εἰς ἱερόν, ὀμόσας, ὅσου ἂν φῇ ἄξια εἶναι τὰ μαθήματα, τοσοῦτον κατέθηκε, i. e. postquam aliquis disciplina mea usus est, aut

(1) Aequat fere pretium quatuor millium florenorum monetae nostrae.

(2) i. e. tria millia florenorum nostrorum.

simpliciter solvit summam, quam accipere soleo, aut si mavult (si e. g. putat me plus quam par est exigere) ipse ad aram iureiurando (1), affirmat quanti pretii sibi existimet id quod didicit, et hanc summam (adstante sacerdote) in ara deponit; qua ratione omnis disceptatio tollebatur. — Aristoteles in Eth. Nic. IX, 2, 5, postquam duo modos stipendium accipiendi, τὸ προίεσθαι et τὸ προλαμβάνειν memoravit, Protagoram dicit priorem morem tenuisse; ὅτε γὰρ διδάξειεν ἃ δή ποτε, τιμῆσαι τὸν μαθόντα ἐκέλευεν, ὅσου δοκεῖ ἄξια ἐπίστασθαι, καὶ ἐλάμβανε τοσοῦτον. Itaque hac in re cum Platone congruit, quod tradit ipsum discipulum, institutione peracta, definivisse quantum sibi solvendum esse existimaret. Aliud vero pactum sophista cum Euathlo iniisse videtur, »qui, ait Gellius V, 10, in disciplinam Protagorae se dedit, daturumque promisit mercedem grandem pecuniam, quantam Protagoras petiverat; *dimidiumque eius dedit tunc iam statim priusquam disceret, pepigitque ut reliquum dimidium daret quo primo die causam apud iudices orasset et vicisset.*" At de hoc pacto deinde lis orta est. »Nam, sic pergit Gellius, postea quum diutule auditor assectatorque Protagorae fuisset et in studio quidem facundiae abunde promovisset, causas tamen non reciperet tempusque iam longum trans-

(1) De hoc ritu *Hermann*, *Griech. Antiq.*, vol. II, § 22, ann. 9.

curreret, et facere id videretur ne reliquum mercedis daret: capit consilium Protagoras, ut tum existimabat, astutum. Petere instituit ex pacto mercedem: litem cum Euathlo contestatur, et quum ad iudices coniiciendae consistendaeque causae gratia venissent, tum Protagoras sic exorsus est: Disce, inquit, stultissime adolescens, utroque id modo fore ut reddas quod peto, sive contra te pronuntiatum erit, sive pro te. Nam si contra te lis data erit, merces mihi ex sententia debebitur, quia ego vicero: sin vero secundum te iudicatum erit, merces mihi ex pacto debebitur, quia tu viceris. Ad ea respondit Euathlus: Potui, inquit, huic tuae tam ancipiti captioni isse obviam, si verba non ipse facerem atque alio patrono uterer. Sed maius mihi in ista victoria prolubium est, quum te non in causa tantum, sed in argumento quoque isto vinco. Disce igitur tu quoque, magister sapientissime, utroque modo fore uti non reddam quod petis, sive contra me pronuntiatum erit, sive pro me. Nam si iudices pro causa mea senserint, nihil tibi ex sententia debebitur, quia ego vicero. Sin contra me pronuntiaverint, nihil tibi ex pacto debebo, quia non vicero. Tum iudices dubiosum hoc inexplicabileque esse quod utrimque dicebatur rati, ne sententia sua, utrumcunque in partem dicta esset, ipsa sese rescinderet, rem iniudicatam reliquerunt causamque in diem longissimam distulerunt." — Rem eadem fere ratione tradit Apuleius Florid. IV, n. 18;

memoratur a Diog. Laërt. IX, 56; pro Protagora *Pythagoram* habet Ioannes Sarisb. Policr. V, 12, at ipse addit: »nec multum refert ad propositum, Pythagoras an Protagoras, sicut Quinctiliano (Inst. III, 1) placet et A. Gellio, litigaverit: neque enim vis est in nomine, caet." — Haec ob testimonia FREI (p. 149) et WEBER (p. 18 sq.) temere, me iudice, hanc narrationem in dubium vocarunt, eamque reiecerunt inter dilemmata illa, quae exercitationis causa in rhetorum scholis proponi solebant. Posterior utitur loco in Marcellini scholiis ad Hermogenis Rhet. cf. Walz, Rhet. graec. IV, p. 179 sq., (*σχόλια Συριανοῦ καὶ Σωπάτρου καὶ Μαρκελλίνου εἰς στάσεις τοῦ Ἑρμογένους*) Μαρκελλίνου post aliquot verba *τὸν ἄπορον ἐν κατηγορίᾳ, ὃν καὶ Κροκοδειλίτην οἱ Στωικοί φασιν· οἷον Εὔαθλος συνέθετο Πρωταγόρᾳ τῷ σοφιστῇ δώσειν μισθὸν, εἰ τὴν πρώτην δίκην λέγειν νικήσειεν· μαθὼν δὲ μὴ βουλόμενος λέγειν ὑπὸ τοῦ Πρωταγόρου τὸν μισθὸν ἀπαιτεῖται· ὁ δὲ ἀντιλέγει· εἴτε γὰρ νικήσειεν, οὐ δίκαιος δοῦναι κατὰ τὴν σύνταξιν, εἴτε κληθείη, ὡς μήπω μαθὼν οὐκ ἄξιος ἀπαιτεῖσθαι.*

Hinc quidem patere videtur hoc dilemma postea in scholis adhibitum fuisse, imo haec suspicio eo augetur, quod a posterioribus scriptoribus, ad pretium dilemmatis ipsius magis attendentibus quam ad factum historicum eo contentum, personae agentes permutatae fuere (1). Sed etiamsi hac de re satis constaret, tamen

(1) Hoc auctorum consilium iam luculenter patet ex

inde minime sequitur, rem actam non fuisse. Imo litem revera obtinuisse verisimile fit ex inscriptione libri alicuius Protagorae *Δίκη ὑπὲρ μισθοῦ* (vid. Diog. Laërt. IX, 55). Memoriae non proditum est quid hoc libro contineretur; at titulus indicare videtur, Protagoram indignatum quod iudicium suum a iudicibus remissum esset, sententiam suam de hac remissione scripto mandasse (1).

E loco Protagorae, quem in exordio huius sectionis memoravimus (vid. supra p. 59), patet Protagoram non quoslibet adolescentes facile inter discipulos suos suscepisse; Hippocrates saltem, quum sophistae discipulus fieri cuperet ad artem politicam discendam (Prot. 316 C, 318 A), diserte Socratem rogat ut ipsum, quippe minorem natum et sophistae ignotum, Protagorae commendet et apud eum introducat.

Io. Sarisberiensis verbis modo citatis. *Sextus Emp. adv. math.* II, 96 sqq. litigantes inducit Coracem cum aliquo eius discipulorum; *Doxopater* in *Συναγωγῇ διαφόρων ἐξηγητῶν εἰς τὰ Ἀφθονίου προγυμνάσματα*, *Bibl. Coisl.* p. 592, idem fere narrat de Corace et Tisia. Fortasse scriptores illi, quum narratiunculam aliquando legissent, personarum litigantium obliti, quum tamen Protagoras iis obscure in memoria haereret, eos tamquam litigantes adscripserunt, quorum institutione Protagoram aliquando usum esse audiverant.

(1) Hoc dilemma inter multa exempla eiusdem generis, uti sunt quae vocantur *crocodilina* et *cornuta*, memorat *Krause, Anal. Logik.* p. 190 sqq. Conferre iubet *Reusch, systema logic.* p. 709.

Et hoc loco sponte fere adducimur ad discrimen illud inter auditores vulgares et discipulos proprie ita dictos, de quo paulo ante monuimus (vid. supr. p. 63). Nimirum auditores vulgares eos intelligo, qui eum variis temporibus coram maiore concione, uti in Lyceo, vel in Euripidis aut Megaclidis domo (vid. Diog. Laërt. IX, 54), disputantem aut recitantem audiebant, et Calliae familiares quibus opportunitas erat sophistam saepius videndi, quos aut minorem aut nullam omnino mercedem solvere debuisse consentaneum est; discipulos proprie ita dictos autem eos, qui sophistam ubicumque sequebantur, et privata eius institutione fruebantur, quum illi modo publicis eius declamationibus adessent; nam quamquam sophista apud Calliam devertebat tamen haud verisimile est eum per integrum diem omnes huius familiares apud se admisisse.

Duo sunt loci qui me permoveant ad eiusmodi distinctionem suspicandam; alter in Theaeteto (p. 152 C) ubi Socrates dicit: *Ἆρ᾽ οὖν πρὸς Χαρίτων πάσσοφός τις ἦν ὁ Πρωταγόρας, καὶ τοῦτο ἡμῖν μὲν ᾐνίξατο τῷ πολλῷ συρφετῷ, τοῖς δὲ μαθηταῖς ἐν ἀποῤῥήτῳ τὴν ἀλήθειαν ἔλεγεν*; ubi significari videntur arcana placita, quae discipulis solis, non omnibus auditoribus communicare solebat sophista. Alter locus est in Prot. p. 315 A, ubi nonnulli Protagorae auditores recensentur, sed de Antimoero Mendaeo diserte additur: *ὅσπερ εὐδοκιμεῖ μάλιστα τῶν Πρωταγόρου μαθητῶν, καὶ ἐπὶ τέχνῃ μανθάνει, ὡς σοφιστὴς ἐσόμενος.*

Itaque inter hos privatos discipulos recensendi erunt et adolescentes ii, qui eum e variis civitatibus sequebantur (Prot. 315 A. B.). Inanis autem est labor, quem fecit FREI (p. 173 sqq.), qui, catalogum componens discipulorum Protagorae, in eorum numero posuit omnes quos legerat sophistam aliquando audivisse aut cum eo collocutos esse. Auditores eius certe innumeri fuerunt, sed discipulos cognovi tantum paucos, de quibus id diserte traditur; sunt hi ANTIMOERUS ille supra memoratus, EUATHLUS, de cuius lite iam supra diximus, et de quo videatur BERGK. l. l. p 97—100, ubi ex Schol. ad Arist. Vesp. v. 590, ex Acharn. v. 710 sqq. perstringitur tamquam *ῥήτωρ συκοφάντης* et *ῥήτωρ πονηρός*· ARCHAGORAS, Theodoti filius, quem Diog. Laërt. IX, 54 diserte monet magistri librum de diis recitasse; fortasse etiam THEODORUS Cyrenaicus, geometra celeberrimus, non confundendus cum Theodoro Byzantino (vid. STALLB. ad Phaedrum, p. 261 C), qui vocatur Protagorae *ἑταῖρος* (Theaet. 161 B, 168 E) et *φίλος* (ib. 162 A), eiusque placitorum *ἐπίτροπος*, quod tamen ipse negat, dicens hunc titulum potius tribuendum esse Calliae, quem tamen inter discipulos numerare nollem, quum non magis Protagorae quam multorum aliorum sophistarum patronus fuerit (1); an PRODICUS fuerit Protagorae disci-

(1) Haec res, quamquam caeteroquin satis nota, luculentissime patet e *Xenoph. Conviv.* 1, 5, ubi So-

pulus, non constat; narratur a Suida v. Πρόδικος et Πρωταγόρας, at non video alia huius rei indicia a viris doctis allata esse (vid. GEEL p. 122, FREI p. 174). Quod ad ISOCRATEM attinet, ex verbis Dion. Halic. de Orat. ant. Isocr. I: Πεφυρμένην δὲ παραλαβὼν τὴν ἄσκησιν τῶν λόγων ὑπὸ τῶν περὶ Γοργίαν καὶ Πρωταγόραν σοφιστῶν, πρῶτος ἐχώρησεν ἀπὸ τῶν ἐριστικῶν τε καὶ φυσικῶν ἐπὶ τοὺς πολιτικούς, κτε. non patet eum magis fuisse auditorem Protagorae quam aliorum huius temporis sophistarum; ex hoc tamen testimonio, ut recte monet Frei l. l., sua exscripsisse videtur Suidas, v. Πρωταγ. et Schol. ad Remp. 600 C. HECATAEUS MILESIUS propter temporis rationes falso a Suida, v. Ἑκαταῖος, dicitur Protagorae discipulus, vid. Frei l. l. (1) An HIPPOCRATES ille, de quo supra p. 67 vidimus, revera Protagorae discipulus factus sit, haud constat; e Platone modo discimus eum cupiisse ut inter sophistae discipulos susciperetur. Miror tamen Freium praeteriisse EUTHYDEMUM et DIONYSODORUM, ex quorum placitis haud temere coniicias eos fuisse Protagoreos (vid. omnino STALLB. prol. ad Euthyd. p. 11 sqq.); quid autem eum permoverit ut Periclem, eius filios Paralum et Xanthippum, Charmidem, Philippidem, inter discipulos commemoraret non video, nisi fortasse hoc fecerit ideo, quod constat eos aliquando cum sophista versatos esse. Quinam tandem fuerint ii, qui μὴ παντάπασι τὸν Πρωταγόρου λόγον λέγουσιν, ut est in Theaet. 172 B, non notum est.

---

crates ita Calliam alloquitur: Ἀεὶ σὺ ἐπισκώπτεις ἡμᾶς καταφρονῶν, ὅτι σὺ μὲν Πρωταγόρᾳ τε πολὺ ἀργύριον δέδωκας ἐπὶ σοφίᾳ καὶ Γοργίᾳ καὶ Προδίκῳ καὶ ἄλλοις πολλοῖς, ἡμᾶς δ' ὁρᾷς αὐτουργούς τινας τῆς φιλοσοφίας ὄντας.

(1) Conferre iubet: *Voss. de hist. graec.* I, 1; *Creuzer, hist. graec. fragm.* 1 sqq.; *Salmas. Plin. exercit. in C. J. Solini Polyhistora*, p. 594 C. Hecataeus quarto demum ante Chr. saeculo vixit; vid. *Voss. de histor. Graec.* I, 10.

Iam videamus quid Protagoras discipulos suos docere polleret.

Omnium primus profitebatur se esse sophistam (Prot. 349 A, 317 B); quae professio sane non est minoris momenti, si animadvertimus hoc nomen eo tempore inter Graecos ita in odio habitum esse, ut Hippocrates (Prot. 312 C sqq.) erubescat, quum consentire debeat se Protagoram adire ut aliquando et ipse sophista evadat; ut Gorgias (Gorg. p. 449), sophista audire recuset (cf. Prot. 316 E, et passim Platonis Sophista). Attamen eo sensu quo ipse hoc nomen usurpare solebat Protagoras, sophistae munus videbatur omnium honorificentissimum. Erat enim sophista ei ***virtutis doctor*** (Prot. 349 A, cf. Meno 95 B sq.), ***medicus animorum*** (Theaet. 166 D sq), qui alios in dies meliores reddat (Prot. 318 A sq). Ad hoc consilium attingendum docebat oeconomiam et politicam (vid. Remp. X, 600), quae sunt εὐβουλία περί τε τῶν

οἰκείων, ὅπως ἂν ἄριστα τὴν ἑαυτοῦ οἰκίαν διοικοῖ, καὶ περὶ τῶν τῆς πόλεως ὅπως τὰ τῆς πόλεως δυνατώτατος ἂν εἴη καὶ πράττειν καὶ λέγειν (Prot. 318 E). Praeter has duas praecipuas artes aliis quoque disciplinis, quibus homines excoluntur, operam impendebat, grammaticae, hermeneuticae, dialecticae, rhetoricae. Sophista ipse in Prot. 318 E dicit se non ut caeteros sophistas eas artes docere quae minorem habent usum in vita communi: *λογισμούς τε καὶ ἀστρονομίαν καὶ γεωμετρίαν καὶ μουσικήν* (1).

De hac autem institutione in sectione de Protagorae philosophia fusius agemus. Propter hanc ingentem doctrinae copiam et propter eius methodum docendi (erant eius orationes tamquam incantationes, Prot. 315 A), omnes fere aequales eum summis laudibus prosequebantur; erat enim ille *σοφώτατος τῶν γε νῦν* (Prot. 309 C), vir *ὃν ὥσπερ θεὸν θαυμάζομεν* (Theaet. 161 C), quem *πάντες ἐπαινοῦσιν καί φασι σοφώτατον* (Prot. 310 E; cf. Theaet. 155 D), per totam Graeciam notus (Meno 91 D E), cognominabatur *Λόγος* et

---

(1) Cf. *Arist. Metaph.* II, 2: *οὔτε γὰρ αἱ αἰσθηταὶ γραμμαὶ τοιαῦταί εἰσιν οἵας λέγει ὁ γεωμέτρης· οὐθὲν γὰρ εὐθὺ τῶν αἰσθητῶν οὕτως οὐδὲ στρογγύλον· ἅπτεται γὰρ τοῦ κανόνος οὐ κατὰ στιγμὴν ὁ κύκλος, ἀλλ' ὥσπερ Πρωταγόρας ἔλεγεν, ἐλέγχων τοὺς γεωμέτρας, οὔθ' αἱ κινήσεις καὶ ἕλικες τοῦ οὐρανοῦ ὅμοιαι, περὶ ὧν ἡ ἀστρολογία ποιεῖται τοὺς λόγους, οὔτε τὰ σημεῖα τοῖς ἄστροις τὴν αὐτὴν ἔχει φύσιν.*

Σοφία (1). Animadvertendum autem Aelianum diserte testari *Abderitas* eum appellasse *λόγον*. Hinc illud *λόγον ἔμμισθον*, quod habet Suidas, ex quo etiam scholiasta supplendus erit, verisimile est a caeteris *Graecis*, praeeunte fortasse Eupolide aut Timone, adhibitum esse per iocum (2).

Non mirum est, virum humili conditione antea usum, quum tantis laudibus extolleretur, non liberum fuisse a vanitate et gloriatione. Hoc iam apparet e professione eius, in primis e multis locis quales ha-

---

(1) De priore cognomine vid. *Aelian. Var. hist.* IV, 20: *οἱ Ἀβδηρῖται ἐκαλοῦν τὸν Δημόκριτον φιλοσοφίαν, τὸν δὲ Πρωταγόραν λόγον· Suidas*, v. Πρωτ.: *μισθὸν ἔπραξε τοὺς μαθητὰς μνᾶς ἑκατόν· διὸ καὶ ἐπεκλήθη λόγος ἔμμισθος· Schol. ad Remp.* X, 600 C: *μισθὸν ἔπραξε τοὺς μαθητὰς μνᾶς ἑκατόν· διὸ καὶ ἐπεκλήθη λόγος.* Alterum cognomen memoratur a *Diog. Laërt.* IX, 50; at postquam *Menagius* ad h. l. animadverterat hoc cognomen vulgo a scriptoribus Democrito tribui, ideoque fidem Laërtii hoc in testimonio in dubium vocaverat, omnes recentiores eum secuti sunt in hac praeiudicata opinione. Quid enim impedit quominus uterque philosophus eiusdem cognominis particeps fuerit, in primis quum apud Platonem Protagoram identidem *σοφόν* appellatum inveniamus?

(2) Exemplum eiusdem naturae habemus quoque de Democrito, qui teste *Aeliano* l. l. ab *Abderitis* appellabatur *φιλοσοφία*, imo, ait porro, *a civibus suis Γελάσινος*, sed auctoribus *Suida* (Δημ.) et *Clemente* (*Strom.* VI) *σοφία·* quod etiam de *Graecis*, aequalibus eius aut posteris, est interpretandum.

bemus in Prot. p. 316 C, sq.; 318 A sq.; 328 B; 335 A; 348 D sqq.; Theaet. 161 C; ubi non sine arrogantiae specie de se ipse loquitur. Notum erat igitur illud Protagorae *ἀλαζονικὸν καὶ ὑπέρογκον* (1).

Inde etiam factum quod aegre ferebat si alii contra se in disputando diutius et vehementius dicerent, quod quoties fiebat, facile irascebatur (vid. Prot. 333 D, 360 D).

Fortasse verum est quod dicit Vir Cl. GEEL, p. 112, Protagoram non quidem caruisse acie mentis, at minus valuisse facultate s u b i t o d i c e n d i. At si id effici debet e modo quo in Prot. cum Socrate de variis virtutis generibus disputans inducitur, omnino tenendum est, aliquem non dici posse hac facultate carere, si interrogatus de re non provisa haesitat et nescit quo se vertat.

Operae pretium est animadvertere quo modo Protagoras cum auditoribus suis in Calliae domo versetur: *τοῦτον τὸν χορόν* (ait Socrates) *μάλιστα ἔγωγε ἰδὼν ἥσθην, ὡς καλῶς εὐλαβοῦντο μηδέποτε ἐμποδὼν ἐν τῷ ἔμπροσθεν εἶναι Πρωταγόρου, ἀλλ' ἐπειδὴ αὐτὸς ἀναστρέφοι καὶ οἱ μετ' ἐκείνου, εὖ πως καὶ ἐν κόσμῳ περιεσχίζοντο οὗτοι οἱ ἐπήκοοι ἔνθεν καὶ ἔνθεν, καὶ ἐν*

(1) Vid. *Epist. B a s i l i i M.* CXXXV, p. 226, ed. Par. 1730. Cf. sup. p. 15 illud *Eupolidis:* ὃς ἀλαζονεύεται —.

κύκλῳ περιιόντες ἀεὶ εἰς τὸ ὄπισθεν καθίσταντο κάλλιστα. Prot. 315 B. Itaque mos Peripateticorum, qui ambulantes disputabant, iam Protagorae proprius fuisse videtur; nam caeteros sophistas, Hippiam in excelsa sede sedentem, Prodicum in lecto iacentem, invenimus; tunc demum, quum disputatio rite instituitur cum Socrate et alii etiam auditores accedunt, formant *συνέδριον, ἵνα καθιζόμενοι διαλέγησθε*, ut ait Callias (317 D).

Indicem librorum, quibus philosophiam suam conscripsit Protagoras, exhibuimus ex Diogene Laërt. IX, 55: quem indicem attendenti ac reputanti Protagorae libros in foro cumbustos esse (p. 53 sq.), mirum videri potest ad Diogenis aetatem tot libros servatos fuisse; veruntamen consentaneum est scripta philosophi celeberrimi etiam extra Athenas multorum in manibus fuisse, nec e Laërtii loco (IX, 51) constat ea omnia fuisse combusta. Fortasse haec calamitas unice accidit iis, quae non a Diogene memorantur, quorum tamen notit a aliqua ad nos pervenit: *ἀλήθεια, περὶ τοῦ ὄντος, περὶ θεῶν, περὶ ὀρθοεπείας, communes loci.* Omnes hos libros recenset Frei p. 176 sqq. His videtur addendus esse locus Theaeteti p. 178 E sq.: *ἦ σύ, ὦ Πρωταγόρα, τό γε περὶ λόγους πιθανὸν ἑκάστῳ ἡμῶν ἐσόμενον εἰς δικαστήριον βέλτιον ἂν προδοξάσαις ἢ τῶν ἰδιωτῶν ὁστισοῦν; ΘΕΟ. Καὶ μάλα, ὦ Σώκρατες, τοῦτό γε σφόδρα ὑπισχνεῖτο πάντων διαφέρειν αὐτός. ΣΩ. Νὴ Δία, ὦ μέλε·*

ἢ οὐδείς γ᾽ ἂν αὐτῷ διελέγετο διδοὺς πολὺ ἀργύριον. Hinc fortasse effici potest, Protagoram, pecunia soluta, *orationes e genere iudiciali* pro aliis conscripsisse. Caeterum de singulis libris, data opportunitate, fusius agemus.

PARS II.

DE PROTAGORAE PHILOSOPHIA.

INTRODUCTIO.

Duo in primis vitia obtinere animadvertimus apud multos qui de historia philosophiae scripserunt; aut placita quaedam abrupta corradunt, quae deinde venditant pro philosophia viri alicuius; aut ordine quidem procedunt, sed distributionem in varia capita non petiverunt ex ratione materiae ipsius, sed ex ipsorum sentiendi ratione aut e modo quo philosophia vulgo distribui solet. Haec vitia ut caveamus, continuo rationes reddemus distributionis, quam in hac opusculi parte sequemur, quippe non e nostra opinione, sed e natura ipsius philosophiae Protagorae haustae.

Protagorae philosophia hoc sibi proprium habet, ut sit quam maxime *practica;* ubivis *hominem* spectat, eumque non ingenio praeditum sed unice corpore constantem et huius commodis ut prospiciat unice viventem; quare Protagorae doctrina non sine iure insigniri potest nomine *sensualismi absoluti.*

Quum autem corpus humanum ita sit constitutum ut rebus extra se positis variis modis afficiatur, primum videndum est de *causa horum affectuum*, tum de *modo quo agant*, tandem de *eorum pretio;* haec tria capita constituent primam sectionem, in qua disputabitur *de sensuum perceptione*, *unico fonte cognitionis humanae.*

At hic minime subsistendum. Natura humana, prouti rebus extra se positis iucunde aut iniucunde afficitur, huic rei in primis studet, ut iucundas sibi comparet, iniucundas quam maxime avertat, verbo saluti suae prospiciat. Facultates innatas exercet; quibus varias artes suum ipsius commodum spectantes invenit. Hinc oritur ars *oeconomica.*

Veruntamen ulterius procedit homo. Multa sunt quae suo marte peragere non possit. Sentit sibi coniunctione cum aliis hominibus opus esse, ut naturae suae satisfaciat. Eiusmodi autem coniunctio exsistere nequit sine iustitia et honesti sensu, quibus homo suum cuique tribuit, honeste vivit, neminem laedit. Hinc oritur vita socialis, *ars politica.*

Hinc sectione secunda agetur *de societate humana;* caput primum *de homine extra societatem*, secundum *de homine cum aliis coniuncto*, quibus adiungetur animadversio *de rebus divinis*, quae, quamquam ab hac philosophia proprie alienae, tamen omitti nequeunt propter ingens pretium quod communi hominum opinione iure iis tribuitur.

Tandem in sectione tertia agendum erit *de methodo qua homo informari debeat* ad vitam socialem et ut aliquando rebus suis bene prospiciat. Continebit igitur disciplinas, id est grammaticam, hermeneuticam, rhetoricam, dialecticam.

In singulis locis disquisitionis nostrae respiciemus ad principium quod sibi Protagoras constanter mente informavit, ut caveamus ne quid Protagorae tribuamus quod sit Platonis vel alius cuiusdam philosophi.

SECTIO I.

De sensuum perceptione, unico fonte cognitionis humanae.

INTRODUCTIO.

Fons unde Protagorae doctrina de sensuum perceptione hauriri potest, est PLATONIS *Theaetetus*. Etenim hic dialogus versatur in refutandis aliorum philosophorum de criterio veritatis sententiis, quas inter non minimum locum occupat disputatio contra Protagoreos habita. Quum igitur forma libelli sit disputatio, commodissime factum ut quaestionem a variis partibus spectare possimus, quo certe accuratius in res ipsas inquiretur, quam si ea sola attendamus quae Aristoteles, Sextus Empiricus, Diogenes Laërtius, alii tradiderunt, qui sophistae placita obiter tangunt, non universam philosophiam in conspectu

ponunt. Praeterea, si levem modo notitiam Platonis his de rebus sententiae nobis comparavimus, nullum periculum est, fore ut disputantium sententiae confundantur. Caeterorum scriptorum testimonia magni quidem sunt pretii ad Platonis auctoritatem confirmandam, exigui vero momenti ad eum illustrandum.

CAPUT I.

De motu, principio e quo omnia pendent.

Hoc principium ita definit Plato in Theaet. p. 156 A: *ἀρχὴ δὲ ἐξ ἧς καὶ ἃ νῦν δὴ ἐλέγομεν πάντα ἤρτηται, ἥδε αὐτῶν, ὡς τὸ πᾶν κίνησις ἦν καὶ ἄλλο παρὰ τοῦτο οὐδέν* (1). Quum in hoc loco interpretando parum accurate versati sint interpretes, eo quidem eventu, ut qui nuperrime de Protagora scripsit, doct. WEBER, statuerit meram illam motionem, quam in hac sententia tamquam fundamentum philosophiae Protagoreae posuit Plato, esse *meram eiusdem fictionem*, omnino necesse est ut diligentissime exploretur, ne videamur aedificium nostrum superstruxisse fundamento infirmissimo, fortasse falso.

---

(1) Cf. *Theaet.* 181 B: Δοκεῖ οὖν μοι ἀρχὴ εἶναι τῆς σκέψεως κινήσεως πέρι, ποῖόν τί ποτε ἄρα λέγοντες φασὶ τὰ πάντα κινεῖσθαι.

Plato id habet consilium ut describat exordium totius philosophiae Protagoreae, ex quo pendebant omnia quae hactenus disputaverant; locuti autem erant inde a pag. 152 D de *motu*, necessario omnium rerum praedicato, earumque conservatore et continuae mutationis causa, quae erat sententia Protagorae, praeterea Heracliti, Empedoclis, duorum principum poëtarum, Epicharmi et Homeri (1).

Iam horum principium est: ὡς τὸ πᾶν κίνησις ἦν καὶ ἄλλο παρὰ τοῦτο οὐδέν.

Τὸ πᾶν κίνησις — idem fere valet ac τὸ παράπαν οὐδὲν ἦν ἄλλο ἢ κίνησις· significante τὸ πᾶν *universe*, *omnino*, *prorsus* (2); quod hanc ob causam moneo, ne putemus id dictum esse eo sensu quo in primis philosophi Eleatici hoc vocabulum usurpare solebant *de rerum universitate*, dicentes e. g. ἓν τὸ πᾶν. Atqui

---

(1) Vid. p. 152 E; hi sunt igitur illi qui p. 156 A dicuntur κομψότεροι et αὐτοί. *Homeri* versiculus a *Platone* citatur, exstat *Iliad.* ξ v. 201 et 302. — De *Epicharmo* autem dignus est qui inspiciatur locus apud *Diog. Laërt.* III, 12, qui, auctore *Alcimo*, narrat Platonem multa transcripsisse *Epicharmi;* et re vera, quae ibi leguntur de motu et sensuum perceptione, mire congruunt cum iis quae in *Theaeteto* de Protagorae systemate exponuntur. Hinc poëta ab eodem physiologis accensetur, VIII, 78.

(2) Vid. e. g. *Xenoph. Cyr.* I, 6, 13; *Ib.* IV, 3, 8; *Plato*, *Politic.* 262 B; *Legg.* XII, 944 B, 959 A; *Tim.* 72 B; *Apol.* 32 D.

nihil sane est quod urgeat, ut hanc vocabuli significationem illi substituamus; nam haud sermo est de ipsa rerum universitate, sed potius de eius principio et origine.

Hanc ob causam auctor etiam utitur verbo ἦν, dicens: *universe erat motus.* Miror tamen omnes interpretes, inde a Ficino (1), verba ita reddidisse: *universum est motus*, illud ἦν accipientes pro ἐστίν, ὡς ἐλέγομεν. At minus recte; nam licet verum sit, motum omnibus rebus, prouti *nunc* sunt, inesse, nec quidquam motionis expers esse, tamen quum hac de re ante iam disseruisset auctor, *nunc inquirit in principium et originem*, *unde manassent illa omnia*, *de quibus tunc sermo fuerat*, i. e. de materia motu agitata. Ita Anaxagoras: πάντα χρήματα ἦν ὁμοῦ, et Democritus: ἦν ὁμοῦ πάντα δυνάμει.

Principium Protagorae est: » universe fuisse motum nec praeter hunc quidquam aliud"; quae sententia

---

(1) Vertit *Ficinus* locum ita: »sunt enim, o puer, a Musis admodum alieni. Sunt autem alii quidam elegantiores, quorum tibi mysteria narraturus sum. Principium autem *deinceps* erit, ex quo ea, quae modo diximus, manant, quod scilicet universum hoc motus est, et aliud praeter motum nihil." Legerat dittographice scriptum: ἀρχὴ δὲ ἑξῆς, ἐξ ἧς. Idem videtur in proximis legisse: πλήθει μὲν ἄπειρα, δίδυμα δὲ εἴδει, quum verterit: »ex harum congressu compulsuque mutuo effectus eveniunt numero infiniti, specie gemini."

fortasse non nemini absurda esse videbitur, reputanti, motum non esse *rem* sed *rerum praedicamentum*, quod luculenter exposuit Plato in Sophista, in quo dialogo numeratur inter sex illas categorias: *τὸ ὄν*, *τὸ μὴ ὄν*, *τὸ αὐτόν*, *τὸ ἕτερον*, *στάσιν* et *κίνησιν*. Itaque iure unusquisque rogabit: at quomodo id, quod materiae inhaeret, sine hac exsistere potest, aut quod magis etiam absurdum est, tamquam eius principium praedicari potest? — At sponte liquet ex iis, quae praecesserunt, non aliter statui posse; nam si nihil est sine motu et si *per motum* et concursum demum singulae res oriuntur, omnino dicendum est ante motum nihil fuisse. Res fortasse clarior fiet ex Arist. Metaph. XI, 2, ubi disputatur de mutatione non entis in ens, quod ita explicatur ut quod primo fuerit *potentiâ* (δυνάμει), deinde fiat *actu* (ἐνεργείᾳ), et diserte memoriae proditum est, Democritum statuisse: *ἦν ὁμοῦ πάντα δυνάμει, ἐνεργείᾳ δ' οὔ* (1). Itaque motui convenit *prioritas*, quam tamen magis de *causa*, quam de *tempore* intelligi oportet.

In primis autem Protagoras ne cogitare quidem poterat de materie aliqua ante motum iam orta, quia,

(1) *Mullach Dem.* p. 209, 337. Cf. *Arist. Met.* III, 4: τὸ γὰρ δυνάμει ὂν καὶ μὴ ἐντελεχείᾳ τὸ ἀόριστόν ἐστι. *Ib.* 5: δυνάμει ἐνδέχεται ἅμα τὸ αὐτὸ εἶναι τὰ ἐνάντια, ἐντελεχείᾳ δ' οὔ. *Ib.* XI, 6: εἴπερ ἐν ἅπαντι πᾶν ὑπάρχει μὴ δυνάμει μόνον ἀλλ' ἐνεργείᾳ καὶ ἀποκεκριμένον.

ut post videbimus, statuebat nihil esse nisi immediatas sensuum perceptiones (i. e. rerum qualitates sensibus subiectas), has autem tum demum fieri si duae res motu actae sibi ita occurrant, ut altera afficiat, altera vero huius impulsum percipiat.

Itaque censendus est sic statuisse: »universe erat motus nec quidquam praeter motum aliud."

Motus autem non solum fuit omnium principium, sed omnibus perpetuo immansit, ita ut sine eo nihil unquam dici possit esse seu potius *fieri*, nam *esse* stabilitatem indicat, quae certe iis, quae nullo temporis momento sine motu sunt, tribui nullo modo potest. De hac perpetua motus vi et actione e Protagorae sententia multis deinceps locis exponit Plato, e. g. 180 D: *πάντα κινεῖται*, cf. 181 D; 182 C; 157 A: *πάντα γίγνεσθαι καὶ παντοῖα ἀπὸ τῆς κινήσεως*· 153 A: *τὸ μὲν εἶναι δοκοῦν καὶ τὸ γίγνεσθαι κίνησις παρέχει*· 152 D: *ἐκ δὲ δὴ φορᾶς τε καὶ κινήσεως καὶ κράσεως πρὸς ἄλληλα γίγνεται πάντα*· p. 177 C refertur Protagoras inter philosophos qui *τὴν φερομένην οὐσίαν* perhibebant.

Similiter fere de motu materiae inhaerente, quo efficitur ut haec continue mutetur, disserit Sextus Empiricus (1), de motu autem, omnium principio, silet.

(1) Vid. *Pyrrh. hypot.* I, 32, 217: *φησὶν οὖν ὁ ἀνὴρ* (Protagoras) *τὴν ὕλην ῥευστὴν εἶναι. Ῥεούσης δὲ αὐτῆς συνεχῶς προσθέσεις ἀντὶ τῶν ἀφορήσεων γίγνεσθαι.* — 218:

Ex usu loquendi qui valebat aetate, qua vixit Sextus, explicandum erit quod utitur vocabulo illo ὕλη Protagorae doctrinam exponens. Nam, quantum scio, Aristoteles primus id vocabulum hoc sensu usurpavit (1); Plato materiam suam dicebat *ὑποδοχήν* seu *τιθήνην*, *χώραν* seu *μητέρα* (2). At hic, ubi in Protagorae philosophia exponenda versatur, materiam ne memorat quidem, quod facile explicari potest ex universa ratione philosophiae Protagorae. Nimirum attendebat hic unice ad res sub sensuum perceptionem cadentes, id est ad qualitates externas, quibus sese sensibus nostris patefaciunt, non ad earum naturam internam. Consequens igitur est, sophistam ipsum de natura materiae ne disquisivisse quidem; Sextum vero non nihil e sua ipsius sentiendi ratione immiscuisse in aliorum placitis quae enarrabat verisimile est; quod nemo ei vitio vertet reputans, quam difficile sit, in primis minus accurate inquirenti, ita suas opiniones seponere, ut alienam rationem integram reddat.

Iam ad motum ipsum redeamus. — Statuit igitur Protagoras nihil esse sine motu (3); quod Plato ipse

---

λέγει δὲ καὶ τοὺς λόγους πάντων τῶν φαινομένων ὑποκεῖσθαι ἐν τῇ ὕλῃ. ὡς δύνασθαι τὴν ὕλην, ὅσον ἐφ' ἑαυτῇ πάντα εἶναι ὅσα πᾶσι φαίνεται — 219: *ὁρῶμεν οὖν ὅτι καὶ περὶ τοῦ τὴν ὕλην ῥευστὴν εἶναι...... δογματίζει.*

(1) Vid. *Stallb.* ad *Plat. Tim.* p. 49 A.

(2) Vid. *Tim.* p. 48 C sqq., 50 D, 51 A, 52 D.

(3) Cff. loci quos citavimus pp. 81 et 85.

illustrat variis exemplis e vita communi et vulgari hominum opinione petitis: motus enim efficit ut res oriantur, quies contra ut intereant; calor et ignis, qui vicissim alia producunt et conservant, ipsi oriuntur e motu et fricatione, quae sunt species motûs (1); corporis constitutio quiete corrumpitur, motu et exercitatione plerumque conservatur; ipse animus opus habet motu, i. e. disciplina et cura, ut melior fiat (2); similiter tranquillitate aëris et maris omnia putrescunt et pereunt; denique aurea illa catena Homeri (v. Il. Θ', 17 sqq.) est imago totius coeli continuo motu agitati quo omnia conservantur (3).

---

(1) *Theaet.* 153 A: *ἐπεὶ καὶ τάδε τῷ λόγῳ σημεῖα ἱκανά, ὅτι τὸ μὲν εἶναι δοκοῦν καὶ τὸ γίγνεσθαι κίνησις παρέχει, τὸ δὲ μὴ εἶναι καὶ ἀπόλλυσθαι ἡσυχία· τὸ γὰρ θερμόν τε καὶ πῦρ, ὃ δὴ καὶ τἆλλα γεννᾷ καὶ ἐπιτροπεύει, αὐτὸ γεννᾶται ἐκ φορᾶς καὶ τρίψεως· τούτω δὲ κινήσει.*

(2) *Theaet.* 153 B: *Καὶ μὴν τό γε ζώων γένος ἐκ τῶν αὐτῶν τούτων φύεται. — Τί δέ, ἡ τῶν σωμάτων ἕξις οὐχ ὑπὸ ἡσυχίας μὲν καὶ ἀργίας διόλλυται, ὑπὸ γυμνασίων δὲ καὶ κινήσεων ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ σώζεται; — Ἡ δ' ἐν τῇ ψυχῇ ἕξις οὐχ ὑπὸ μαθήσεως μὲν καὶ μελέτης, κινήσεων ὄντων, κτᾶταί τε μαθήματα καὶ σώζεται καὶ γίγνεται βελτίων, ὑπὸ δ' ἡσυχίας, ἀμελετησίας τε καὶ ἀμαθίας οὔσης, οὔτέ τι μανθάνει, ἅ τε ἂν μάθῃ ἐπιλανθάνεται;* — Cf. de motu corporis et animi memorabilis locus in *Symp.* p. 207 C. — 208 B, ubi motus ille est studium sese conservandi, imo principium immortalitatis.

(3) *Theaet.* 153 C: *Ἔτι οὖν σοι λέγω νηνεμίας τε καὶ γαλήνας καὶ ὅσα τοιαῦτα, ὅτι αἱ μὲν ἡσυχίαι σήπουσι καὶ*

Nonnulli ex recentioribus etiam falso opinati sunt, motum unice esse motionem e loco (1). At meliora hac de re discimus e Theaeteto; nam ibi describitur motus duplex; alter est motus e loco in locum et motus circularis, alter immutatio, qua res ipsae mutantur, e. g. quum aliquid senescit, vel nigrum ex albo, vel durum ex molli fit. Illud genus appellatur *φορά*, hoc *ἀλλοίωσις* (2). Animadverten-

---

ἀπολλύασι, τὰ δ' ἕτερα σώζει; καὶ ἐπὶ τούτοις τὸν κολοφῶνα ἀναγκάζω προσβιβάζων, τὴν χρυσῆν σειρὰν ὡς οὐδὲν ἄλλο ἢ τὸν ἥλιον Ὅμηρος λέγει, καὶ δηλοῖ, ὅτι ἕως μὲν ἂν ἡ περιφορὰ ᾖ κινουμένη καὶ ὁ ἥλιος, πάντα ἔστι καὶ σώζεται τὰ ἐν θεοῖς τε καὶ ἀνθρώποις· εἰ δε σταίη τοῦτο ὥσπερ δεθέν, πάντα χρήματ' ἂν διαφθαρείη καὶ γένοιτ' ἂν τὸ λεγόμενον ἄνω κάτω πάντα; — Cf. *sophista* p. 228 A, ubi στάσις est idem ac νόσος· vid. de motu apud Platonem in primis *Phaedr.* 245 sq.

(1) Vid. *Krause*, *anal. Logik.*, p. 384.

(2) *Theaet.* 181 C: πότερον ἕν τι εἶδος αὐτῆς λέγουσιν ἢ ὥσπερ ἐμοὶ φαίνεται, δύο; ...... ἆρα κινεῖσθαι καλεῖς, ὅταν τε χώραν ἐκ χώρας μεταβάλλῃ ἢ καὶ ἐν τῷ αὐτῷ στρέφηται; — Τοῦτο μὲν τοίνυν ἓν ἔστω εἶδος. ὅταν δὲ ᾖ μὲν ἐν τῷ αὐτῷ, γηράσκῃ δὲ ἢ μέλαν ἐκ λευκοῦ ἢ σκληρὸν ἐκ μαλακοῦ γίγνηται, ἢ τινα ἄλλην ἀλλοίωσιν ἀλλοιῶται, ἆρα οὐκ ἄξιον ἕτερον εἶδος φάναι κινήσεως; ...... δύο δὴ λέγω τούτω εἴδη κινήσεως, ἀλλοίωσιν, τὴν δὲ περιφοράν. — Haec conveniunt cum iis quae de motus generibus disputat *Plato* in *Parm.* 138 C. et 139 A. — Hanc vel similem saltem de motus generibus sententiam respexisse videtur *Aristoteles* in *Categ.* c. 14, ubi sex species motus recenset: γένεσιν, φθοράν, αὔξησιν, μείωσιν, ἀλλοίωσιν,

dum autem est, e Platonis loco (181 C) certe non liquere hanc distinctionem esse ipsius Protagorae; existimamus potius rei illustrandae causa esse additam, quod effici possit ex his verbis Socratis: »utrum unum genus motus perhibent (philosophi illi fluentes), an vero, *ut mihi videtur*, duo genera?"

CAPUT II.

De mutua actione sive de sensuum perceptione.

Quum motûs vi res continue mutentur et transformentur, consentaneum est, nullam cuiquam rei stabilitatem adscribi posse; quod nunc hanc illamve formam vel colorem habet, brevi tempore elapso, fortasse plane immutatum erit. Nihil igitur mutabilius quam qualitates rerum, quibus tamen res

---

καὶ τὴν κατὰ τόπον μεταβολήν, deinde oppugnat eos qui existimant quatuor illa genera priora esse species τῆς ἀλλοιώσεως. Cf. id. in *phys. ausc.* V, 3. — Res clarior etiam fiet inspecta unius alteriusve recentiorum de motu sententia, e. g. *Krause*, *anal. Log.* p. 388, non aliena a Protagorae doctrina statuens, quum distinguat inter *motum internum* (περιφοράν), *externum* (φορὰν ἐκ χώρας εἰς χώραν), et *utrumque coniunctum* (ἀλλοίωσιν, *Zusammenziehung und Ausdehnung*).

unice percipiuntur. Hinc numquam affirmari potest hoc vel illud *esse*, sed semper dicendum, aliquid *fieri* hoc illove modo (1).

Sed in iis quae hactenus de motus natura disputavimus, locuti sumus de *rebus*, de *qualitatibus;* at bene animadvertendum est, nos his notionibus usos esse e vulgari loquendi ratione, quam in hac expositione sequi oportebat; at e Protagorae ratione nondum licebat his vocabulis uti, quum hactenus nihil cognoverimus nisi id, motum esse universalem et perpetuum; praeter hunc initio nihil affuisse. Quid autem requiratur ut eas quas nos nuncupamus res, sive potius rerum perceptiones, adsint (fiant), id exponetur in hac nostra disquisitione de *mutua actione*.

Vidimus motum *natura* sua esse duplicem, *φοράν* et *ἀλλοίωσιν*· sed *effectu* suo etiam est duplex; 152 D: **ἐκ δὲ δὴ φορᾶς τε καὶ κινήσεως καὶ κράσεως πρὸς ἄλληλα γίγνεται πάντα, ἃ δή φαμεν εἶναι, οὐκ ὀρθῶς προσαγορεύοντες**· ut τὸ γίγνεσθαι obti-

(1) Vid. *Theaet.* 152 D: *ἔστι μὲν γὰρ οὐδέποτ' οὐδέν, ἀεὶ δὲ γίγνεται.* — 157 B: τὸ δ' *εἶναι* πανταχόθεν ἐξαιρετέον, οὐχ ὅτι ἡμεῖς πολλὰ καὶ ἄρτι ἠναγκάσμεθα ὑπὸ συνηθείας καὶ ἀνεπιστημοσύνης χρῆσθαι αὐτῷ· τὸ δ' οὐ δεῖ, ὡς ὁ τῶν σοφῶν λόγος, οὔτε τι ξυγχωρεῖν οὔτε του οὔτ' ἐμοῦ οὔτε τόδε οὔτ' ἐκεῖνο οὔτε ἄλλο οὐδὲν ὄνομα, ὅ τι ἂν ἱστῇ, ἀλλὰ κατὰ φύσιν φθέγγεσθαι γιγνόμενα καὶ ποιούμενα καὶ ἀπολλύμενα καὶ ἀλλοιούμενα· ὡς ἐάν τί τις στήσῃ τῷ λόγῳ, εὐέλεγκτος ὁ τοῦτο ποιῶν. Cf *Philop.* ad *Arist. de gener. et inter.* p. 4: Ὡς Πρωταγόρας οὐκ εἶναι φύσιν ὡρισμένην οὐδενὸς λέγων.

neat, quoties minus propria *εἶναι* dicimus, opus est *mutua actione* rerum inter se, nam *sola res per se nihil est* (1). Hinc motus habita effectus ratione est duplex, *activus* et *passivus* (2). Sic Protagoras, ut ait Sextus (Pyrrh. hypot. I, 32 p. 216), *εἰσάγει τὸ πρός τι* (relationem mutuam) (3).

Si igitur alter motus impellit, debet adesse alter qui impulsum sentit; sic una res fit *τὸ ποιοῦν*, altera *τὸ πάσχον*, tunc e re activa prodit *αισθητόν τι*, e passiva *αἴσθησις*, in medio iacet qualitas.

(1) Vid. *Theaet.* 152 D: ὡς ἄρα ἓν μὲν αὐτὸ καθ' αὑτὸ οὐδέν ἐστιν, οὐδ' ἄν τι προσείποις ὀρθῶς οὐδ' ὁποιονοῦν τι, ἀλλ' ἐὰν ὡς μέγα προσαγορεύῃς, καὶ σμικρὸν φανεῖται, καὶ ἐὰν βαρύ, κοῦφον, ξύμπαντά τε οὕτως, ὡς μηδενὸς ὄντος ἑνὸς μήτε τινὸς μήτε ὁποιονοῦν. Cf. 153 E, 160 B, 182 B.

(2) Vid. *Theaet.* 156 A: τῆς δὲ κινήσεως δύο εἴδη, πλήθει μὲν ἄπειρον ἑκάτερον, δύναμιν δὲ τὸ μὲν ποιεῖν ἔχον, τὸ δὲ πάσχειν. ἐκ δὲ τῆς τούτων ὁμιλίας τε καὶ τρίψεως πρὸς ἄλληλα γίγνεται ἔκγονα πλήθει μὲν ἄπειρα, δίδυμα δέ, τὸ μὲν αἰσθητόν, τὸ δὲ αἴσθησις ἀεὶ συνεκπίπτουσα καὶ γεννωμένη μετὰ τοῦ αἰσθητοῦ.

(3) Vid. *Amm.* ad *Arist. Cat.* (Schol. ed. *Brandis*, p. 60, 5*a*): τινές δὲ ἐκ διαμέτρου τούτοις ἔχοντες πάντα τὰ ὄντα πρός τι ἔλεγον· ὧν εἷς ἦν Πρωταγόρας ὁ σοφιστής. ἔλεγε γὰρ οὗτος ὅτι οὐδὲν τῶν πραγμάτων ὡρισμένην ἔχει φύσιν. διὸ καὶ ἔλεγεν ὅτι οὐκ ἔστι τινὰ ψευδῆ λέγειν· ἕκαστος γὰρ κατὰ τὸ φαινόμενον αὐτῷ καὶ δοκοῦν ἀποφαίνεται περὶ τῶν πραγμάτων, οὐκ ἐχόντων ὡρισμένην φύσιν. ἀλλ' ἐν τῇ πρὸς ἡμᾶς σχέσει τὸ εἶναι ἐχόντων . . . . τοῦτον δὲ ἐλέγχει μὲν καὶ ὁ Ἀριστοτέλης ἐν τῷ τρίτῳ λόγῳ τῆς Μετὰ τὰ φυσικὰ πραγματείας (C. 4) . . . . ἐλέγχει καὶ ὁ Πλάτων ἐν τῷ Θεαιτήτῳ τῷ διαλόγῳ, αὐτὸ τοῦτο προθέμενος ἐλέγξαι.

Hoc facile exemplo illustrari potest. Illud quod dicimus colorem album, per se nihil est, neque aliquid extra oculos meos, neque aliquid in oculis meis, nec locus aliquis ei adscribi potest, tunc enim iam alicubi in ordine collocatum exstaret atque permaneret expers omnis mutationis et vicissitudinis, ideoque nec generatione demum oriretur. — Neque visus per se aliquid est; nam nisi sint res quas adspicere possimus, nihil videbimus, neque amplius de visu sermo esse posset. — Sed res aliqua et oculus, si simul in motu sunt, sese offendunt; quod ubi fit, in re illa est motus activus, in oculo meo motus passivus; statim in re illa patefit **αἰσθητόν τι**, in oculo meo sic affecto oritur **αἴσθησις**· hac demum mutua actione exsistit intermedium aliquid, quod color dicitur, isque color certo quidem temporis articulo est albus, sed re ipsa vel oculo meo mutatis fortasse brevi post erit niger. Itaque unus quisque color oritur ex applicatione oculorum ad convenientem (oculis) motionem (1).

(1) *Theaet.* 153 D sqq.: Ὑπόλαβε τοίνυν, ὦ ἄριστε, οὑτωσί. κατὰ τὰ ὄμματα πρῶτον, ὃ δὴ καλεῖς χρῶμα λευκόν, μὴ εἶναι αὐτὸ ἕτερόν τι ἔξω τῶν σῶν ὀμμάτων μηδ' ἐν τοῖς ὄμμασι· μηδέ τιν' αὐτῷ χώραν ἀποτάξῃς. ἤδη γὰρ ἂν εἴη τε ὂν που ἐν τάξει καὶ μένοι καὶ οὐκ ἂν ἐν γενέσει γίγνοιτο. — Ἀλλὰ πῶς; — Ἑπώμεθα τῷ ἄρτι λόγῳ, μηδὲν αὐτὸ καθ' αὑτὸ ἓν ὂν τιθέντες· καὶ ἡμῖν οὕτω μέλαν τε καὶ λευκὸν καὶ ὁτιοῦν ἄλλο χρῶμα ἐκ τῆς προσβολῆς τῶν ὀμμάτων πρὸς τὴν προσήκουσαν φορὰν φανεῖται γεγενημένον, καὶ ὃ δὴ ἕκαστον εἶναί φαμεν χρῶμα, οὔτε τὸ προσβάλλον οὔτε τὸ προσβαλλόμενον ἔσται, ἀλλὰ μεταξύ τι ἑκάστῳ ἴδιον γεγονός.

Omnino opus est ut moneamus, **αἴσθησιν** non esse instrumentum quo sentimus, sed affectum, qui aliqua re in nobis excitatur; **αἰσθητόν** non esse rem, quae sentitur, sed illam vim rerum, quae sensus nostros afficit. Quum porro nihil sit per se, nullum est **πάσχον** nisi adsit **τι ποιοῦν**, nulla **αἴσθησις** sine **αἰσθητῷ** aliquo (1). Hinc semper **αἴσθησις** aliqua respondet **αἰσθητῷ** alicui, e. g. nullus visus sine colore, nullus auditus sine sono; innumeri sunt affectus, nam omnia, quae percipiuntur, novam conditionem affectuum nostrorum excitant;

(1) *Theaet.* 157 A: **αὐτὸ μὲν καθ' αὑτὸ μηδὲν εἶναι**, ὃ δὴ καὶ τότε ἐλέγομεν, ἐν δὲ τῇ πρὸς ἄλληλα ὁμιλίᾳ πάντα γίγνεσθαι καὶ παντοῖα ἀπὸ τῆς κινήσεως, ἐπεὶ καὶ τὸ ποιοῦν εἶναί τι καὶ τὸ πάσχον αὖ τι ἐπὶ ἑνὸς νοῆσαι, ὥς φασιν, οὐκ εἶναι παγίως. οὔτε γὰρ ποιοῦν ἐστί τι, πρὶν ἂν τῷ πάσχοντι ξυνέλθῃ, οὔτε πάσχον, πρὶν ἂν τῷ ποιοῦντι· τό τέ τινι ξυνελθὸν καὶ ποιοῦν, ἄλλῳ αὖ προςπεσὸν, πάσχον ἀνεφάνη. ὥστε ἐξ ἁπάντων τούτων, ὅπερ ἐξ ἀρχῆς ἐλέγομεν, οὐδὲν εἶναι ἓν αὐτὸ καθ' αὑτό, ἀλλά τινι ἀεὶ γίγνεσθαι. *Ib.* 160 A: Ἀνάγκη δέ γε ἐμέ τε τινὸς γίγνεσθαι, ὅταν αἰσθανόμενος γίγνωμαι· αἰσθανόμενον γάρ, μηδενὸς δὲ αἰσθανόμενον ἀδύνατον γίγνεσθαι· ἐκεῖνό τε τινὶ γίγνεσθαι, ὅταν γλυκὺ ἢ πικρὸν ἤ τι τοιοῦτον γίγνηται· γλυκὺ γάρ, μηδενὶ δὲ γλυκὺ ἀδύνατον γενέσθαι. — Λείπεται δή, οἶμαι, ἡμῖν ἀλλήλοις, εἴτ' ἐσμέν, εἶναι, εἴτε γιγνόμεθα, γίγνεσθαι, ἐπείπερ ἡμῶν ἡ ἀνάγκη τὴν οὐσίαν συνδεῖ μέν, συνδεῖ δὲ οὐδενὶ τῶν ἄλλων, οὐδ' αὖ ἡμῖν αὐτοῖς. ἀλλήλοις δὴ λείπεται συνδεδέσθαι. ὥςτε εἴτε τις εἶναί τι ὀνομάζει, τινὶ εἶναι ἢ τινὸς ἢ πρός τι ῥητέον αὐτῷ, εἴτε γίγνεσθαι· αὐτὸ δὲ ἐφ' αὑτοῦ τι ἢ ὂν ἢ γιγνόμενον οὔτε αὐτῷ λεκτέον οὔτ' ἄλλου λέγοντος ἀποδεκτέον, ὡς ὁ λόγος, ὃν διεληλύθαμεν, σημαίνει.

plurima ne nomina quidem gerunt, nam frigus et calor ad tactum universe quidem referuntur, sed tactus frigidi et calidi tamen diversi sunt, color albus et niger ad visum quidem referuntur, sed quomodo appellantur varii affectus a variis coloribus producti? (1)

Hos affectus etiam variari pro celeritate aut tarditate motûs iis propria, sponte patet; sic visus et auditus e longinquo vim suam exercent, tactus et gustus nisi e propinquo (2).

Hac igitur ratione mutuam actionem inter sensus nostros et res secundum Protagorae doctrinam explicare conati sumus. Age iam totam illam actionem

---

(1) *Theaet.* 156 B: αἱ μὲν οὖν αἰσθήσεις τὰ τοιάδε ἡμῖν ἔχουσιν ὀνόματα, ὄψεις τε καὶ ἀκοαὶ καὶ ὀσφρήσεις καὶ ψύξεις τε καὶ καύσεις καὶ ἡδοναί γε δὴ καὶ λῦπαι καὶ ἐπιθυμίαι καὶ φόβοι κεκλημέναι καὶ ἄλλαι, ἀπέραντοι μὲν αἱ ἀνώνυμοι, παμπληθεῖς δὲ αἱ ὠνομασμέναι. τὸ δ᾽ αὖ αἰσθητὸν γένος τούτων ἑκάσταις ὁμόγονον, ὄψεσι μὲν χρώματα παντοδαπαῖς παντοδαπά, ἀκοαῖς δὲ ὡσαύτως φωναί, καὶ ταῖς ἄλλαις αἰσθήσεσι τὰ ἄλλα αἰσθητὰ ξυγγενῆ γιγνόμενα.

(2) *Theaet.* 156 C: ταῦτα πάντα μέν, ὥςπερ ἐλέγομεν, κινεῖται, τάχος δὲ καὶ βραδυτὴς ἔνι τῇ κινήσει αὐτῶν. ὅσον μὲν οὖν βραδύ, ἐν τῷ αὐτῷ καὶ πρὸς τὰ πλησιάζοντα τὴν κίνησιν ἴσχει καὶ οὕτω δὴ γεννᾷ, τὰ δὲ γεννώμενα οὕτω δὴ [βραδύτερά ἐστίν· ὅσον δὲ αὖ ταχύ, πρὸς τὰ πόῤῥωθεν τὴν κίνησιν ἴσχει καὶ οὕτω γεννᾷ, τὰ δὲ γεννώμενα οὕτω δὴ] θάττω ἐστί. — *Schol.*: Ὅσον μὲν οὖν βραδύ· οἷον, ὡς τὸ ἁπτὸν καὶ τὸ γευστόν· παρέλιπε δὲ ὄψιν καὶ ἀκοήν, ταχέως γενόμενα· τούτων γὰρ σχεδὸν ἀχρόνως αἰσθανόμεθα· διὰ δὲ τὸ ἐναργῆ αὐτὰ εἶναι παρέλιπεν.

ex ipso Platonis loco breviter describamus: sunt duae res, utraque in motu; altera sit e. g. oculus meus, altera lapis aut eiusmodi aliquid. Concurrunt ita ut lapis vim habeat in oculo; itaque fit lapis *activum* aliquid, oculus *passivum*. Lapis hoc in concursu producit aliquid quod ab oculo meo percipi potest (*αἰσθητόν τι*), e. g. colorem album, oculus hoc colore afficitur (oritur in eo *αἴσθησις*), et visu plenus fit. Hoc facto in medio iacet *albedo* seu rei observatae qualitas; veruntamen lapis nondum est *albedo* sed *album aliquid;* oculus nondum *visus* est, sed *videns aliquid* (1). Similiter de caeteris rerum quali-

---

(1) *Theaet.* 156 D: ἐπειδὰν οὖν ὄμμα καὶ ἄλλο τι τῶν τούτῳ ξυμμέτρων πλησιάσαν γεννήσῃ τὴν λευκότητά τε καὶ αἴσθησιν αὐτῇ ξύμφυτον, ἃ οὐκ ἄν ποτε ἐγένετο ἑκατέρου ἐκείνων πρὸς ἄλλο ἐλθόντος, τότε δὴ μεταξὺ φερομένων τῆς μὲν ὄψεως πρὸς τῶν ὀφθαλμῶν, τῆς δὲ λευκότητος πρὸς τοῦ συναποτίκτοντος τὸ χρῶμα, ὁ μὲν ὀφθαλμὸς ἄρα ὄψεως ἔμπλεως ἐγένετο καὶ ὁρᾷ δὴ τότε καὶ ἐγένετο οὔ τι ὄψις ἀλλὰ ὀφθαλμὸς ὁρῶν, τὸ δὲ ξυγγεννῆσαν τὸ χρῶμα λευκότητος περιεπλήσθη καὶ ἐγένετο οὐ λευκότης αὖ ἀλλὰ λευκόν, εἴτε ξύλον εἴτε λίθος εἴτε ὁτιοῦν ξυνέβη χρῆμα χρωσθῆναι τῷ τοιούτῳ χρώματι. καὶ τἆλλα δὴ οὕτω, σκληρὸν καὶ θερμὸν καὶ πάντα τὸν αὐτὸν τρόπον ὑποληπτέον. — *Ib.* 182 A: τῆς θερμότητος ἢ λευκότητος ἢ ὁτουοῦν γένεσιν οὐχ οὕτω πως ἐλέγομεν φάναι αὐτούς, φερέσθαι ἕκαστον τούτων ἅμα αἰσθήσει μεταξὺ τοῦ ποιοῦντός τε καὶ πάσχοντος, καὶ τὸ μὲν πάσχον αἰσθητὸν ἀλλ᾽ οὐκ αἴσθησιν ἔτι γίγνεσθαι, τὸ δὲ ποιοῦν ποιόν τι ἀλλ᾽ οὐ ποιότητα; — τὸ γὰρ ποιοῦν οὔτε θερμότης οὔτε λευκότης, θερμὸν δὲ καὶ λευκὸν

tatibus, de duro, calido, reliquis iudicandum est. Verbo, qualitates non sunt in rebus ipsis, sed alterutro amborum (ut ita dicam) *factorum* (1) mutato, *τὸ αἰσθητόν* alterius factoris (rei observatae) una cum *αἰσθήσει* alterius factoris (sensus percipientis) mutatur.

ποιοῦν τι et *πάσχον τι*
gignunt
αἰσθητόν τι et *αἴσθησίν τινα·*
unde oritur
ποιότης τις.

Hoc mutuo commercio inter sensus nostros et res extra nos positas ita descripto, par est ut iterum rogemus, quid tandem percipiamus; respondendum est ultimum productum huius commercii esse qualitates (*ποιοτῆτας*). Nihil igitur percipimus nisi qualitates quasdam. Si autem multae eiusmodi qualitates coniunctim occurrunt, summae harum qualitatum *nomen* imponimus; si e. g. percipimus frigidum, durum, asperum, album, grave aliquid, summam harum qualitatum

---

γίγνεται, καὶ τἆλλα οὕτω. In quibus *Ast* putat pro: *καὶ τὸ μὲν πάσχον αἰσθητόν* legendum esse *αἰσθητικόν* (quod etiam habent Codd. Flor. a., b. manu sec.); nam quod afficitur (*τὸ πάσχον*) numquam potest dici *αἰσθητόν*, quod est id quod afficit (*τὸ ποιοῦν*), sed illud revera fit *αἰσθητικόν*, a quo deinceps oritur *αἴσθησις*.

(1) *Theaet*. p. 160 A sq., vid. supr. p. 93.

appellamus lapidem. Hoc quamquam sponte sequitur e sophistae theoria de rerum perceptione, tamen etiam a Platone, quamvis paulo obscurius, indicatur in Theaet. p. 157 B C. Postquam enim animadvertit nihil stabile esse, sed omnia nasci, mutari et perire, addit: *δεῖ δὲ κατὰ μέρος οὕτω λέγειν καὶ περὶ πολλῶν ἀθροισθέντων, ᾧ δὴ ἀθροίσματι ἄνθρωπόν τε τίθενται καὶ λίθον καὶ ἕκαστον ζῶόν τε καὶ εἶδος.* Illud *κατὰ μέρος* nihil aliud indicare potest nisi singulas qualitates; hae enim solae a nobis animadvertuntur; itaque *πολλὰ ἀθροίσθεντα* erunt multae qualitates, quae coniunctim spectatae ea producunt quae variis rerum nominibus praedicamus. Si hoc animadvertimus, Protagoram unice externas rerum qualitates attendisse, satis illustrantur ea quae supra disputavimus de materie a Protagora in disquisitionibus suis non memorata; imo proprie ne de *rebus* quidem in eius placitis sermo esse debuisset, nisi quatenus abstrahuntur earum notiones, tamquam *qualitatum summae*, a materiae notione, quam ab iis vix seiungere possumus (1).

---

(1) Res tamen aliquatenus illustrari potest e comparatione cum **Leibnitii** sententia celebri illa: *substantiam esse vim.* Vidit etiam hic rerum naturam, quae a nobis appelletur, esse summam qualitatum, quae illis tribuantur; has qualitates, quatenus a nobis percipiantur, esse effecta rerum in animum agentium: nihil igitur intelligi in rebus per se solis spectatis, nisi vim ista in animo producendi:

CAPUT III.

De criterio in rebus quae sensibus percipiuntur.

Quum rerum qualitates ita pendeant a duobus factoribus, ut alterutro mutato ipsae statim aliae fiant, consequens est, ut unicuique privati sint sui affectus utque nemo iudicare possit quomodo haec illave res cuivis alii appareat. Quis e. g. affirmare auderet, colorem qui nobis albus esse videtur etiam cani vel alii animali album esse? Oculi canis fortasse admodum diversi sunt ab oculis meis, eadem res quae mihi nigra est, ei fortasse erit subfusca (1). Neque ab alio homine eadem res eodem modo sentitur, pro variis enim corporum conditionibus idem ventus huic calidus, illi frigidus erit (2). Neque idem homo umquam sibi similis est; vinum quod mihi hodie dulce

---

Cf. *Garve, de ratione scribendi hist. phil.* in *Fülleborn Beitr. zur Gesch. der Philos.* vol. XI, p. 161.

(1) *Theaet.* 154 A: ἢ σu διϊσχυρίσαιο ἂν, ὡς οἷον σοὶ φαίνεται ἕκαστον χρῶμα, τοιοῦτον καὶ κυνὶ καὶ ὁτῳοῦν ζώῳ; — Τί δέ; ἄλλῳ ἀνθρώπῳ ἆρ' ὅμοιον καὶ σοὶ φαίνεται ὁτιοῦν; ἔχεις τοῦτο ἰσχυρῶς, ἢ πολὺ μᾶλλον, ὅτι οὐδὲ σοὶ αὐτῷ ταὐτὸν διὰ τὸ μηδέποτε ὁμοίως αὐτὸν σεαυτῷ ἔχειν; —

(2) *Theaet.* 152 B: ἆρ' οὐκ ἐνίοτε πνέοντος ἀνέμου τοῦ αὐτοῦ ὁ μὲν ἡμῶν ῥιγοῖ, ὁ δ' οὔ; καὶ ὁ μὲν ἠρέμα, ὁ δὲ σφόδρα; — Πότερον οὖν τότε αὐτὸ ἐφ' ἑαυτὸ τὸ πνεῦμα ψυχρὸν ἢ οὐ ψυχρὸν φήσομεν; ἢ πεισόμεθα τῷ Πρωταγόρᾳ, ὅτι τῷ μὲν ῥιγοῦντι ψυχρόν, τῷ δὲ μὴ οὔ;

videtur, cras fortasse, lingua corrupta aut aliquo modo affecta, mihi amarum erit (1). Nec vero opus est ut

---

(1) *Theaet.* 159 B: ...... Σωκράτη ὑγιαίνοντα καὶ Σωκράτη αὖ ἀσθενοῦντα. πότερον ὅμοιον τοῦτ' ἐκείνῳ ἢ ἀνόμοιον φήσομεν; — Ἀνόμοιον δήπου. — Καὶ ἕτερον ἄρα οὕτως, ὥσπερ ἀνόμοιον; — Ἀνάγκη. — Καὶ καθεύδοντα δὴ καὶ πάντα ἃ νῦν διήλθομεν, ὡσαύτως φήσεις; — Ἔγωγε. — Ἕκαστον δὴ τῶν πεφυκότων τι ποιεῖν ἄλλο τι, ὅταν μὲν λάβῃ ὑγιαίνοντα Σωκράτη, ὡς ἑτέρῳ μοι χρήσεται, ὅταν δὲ ἀσθενοῦντα, ὡς ἑτέρῳ; — sequitur deinde exemplum de eodem vino dulci aut amaro pro conditione Socratis. Plura huiusmodi exempla citantur apud Aristotelis scholiastas. Sed post ea quae in superioribus disputavimus res evidentior est, quam ut operae pretium sit eorum verba hic adscribere; et eorum locis inspectis, liquet eos sua e Platone plerumque hausisse. Vide tamen sis *Scholia in Aristotelem, quae collegit C. A. Brandis,* (efficiunt vol. IV edit. *Beckeri*) p. 60, 15 b, ann. *Ammonii* et similem ἀπὸ φωνῆς Δάβιδ τοῦ θεοφιλεστάτου φιλοσόφου· p. 674, 10 b. animadv. *Alexandri* non male sensuum perceptionem memorantis. A sua ipsius opinione de ὕλη profectus (vid. p. 86), *Sextus Emp.*, *Pyrr. hyp.* I, 32, dicit: φησὶν οὖν ὁ ἀνὴρ τὴν ὕλην ῥευστὴν εἶναι. Ῥεούσης δὲ αὐτῆς συνεχῶς, προσθέσεις ἀντὶ τῶν ἀποφορήσεων γίγνεσθαι, καὶ τὰς αἰσθήσεις μετακοσμεῖσθαί τε καὶ ἀλλοιοῦσθαι παρά τε ἡλικίας καὶ παρὰ τὰς ἄλλας κατασκευὰς τῶν σωμάτων. λέγει δὲ καὶ τοὺς λόγους πάντων τῶν φαινομένων ὑποκεῖσθαι ἐν τῇ ὕλῃ ὡς δύνασθαι τὴν ὕλην, ὅσον ἐφ' ἑαυτῇ, πάντα εἶναι ὅσα πᾶσι φαίνεται· τοὺς δὲ ἀνθρώπους ἄλλοτε ἄλλων ἀντιλαμβάνεσθαι παρὰ τὰς διαφόρους αὐτῶν διαθέσεις· τὸν μὲν γὰρ κατὰ φύσιν ἔχοντα, ἐκεῖνα τῶν ἐν τῇ ὕλῃ καταλαμβάνειν ἃ τοῖς κατὰ φύσιν ἔχουσι φαίνεσθαι δύναται· τοὺς δὲ παρὰ φύσιν, ἃ τοῖς παρὰ φύσιν. καὶ ἤδη παρὰ τὰς ἡλικίας, καὶ κατὰ τὸ ὑπνοῦν ἢ ἐγρηγορέναι, καὶ καθ' ἕκαστον εἶδος τῶν διαθέσεων ὁ αὐτὸς λόγος.

ipse alius fiam (154 C); video numerum 4 et numerum 6 talorum; statim dico illum numerum esse minorem, hunc vero maiorem; sin apponuntur 12 tali, statim sententiam muto, et affirmo numerum illum 6, qui brevi ante erat maior, nunc minorem esse factum. Sic non statuendum est hominem esse unum aliquem sed singulos esse multos homines (1). Itaque nemini licet affirmare, illud, quod sibi verum esse videtur, etiam omnibus aliis verum esse; nam nemo iudex esse potest eorum quae alius quis sentit (2).

Quum autem scientiae hoc munus sit impositum, ut leges generales inveniat, ut inquirat quid omnibus verum sit, ex Protagorae philosophia proxime sequitur ut omnis scientia, quae ita intelligitur, prorsus tollatur. Privati sunt singulis hominibus sui affectus; quod ego hac illave ratione sentio, ab alio quodam fortasse plane diversa ratione sentitur; uter igitur nostrum illud sentit quod verum est? Auctoritas affectuum

---

(1) *Theaet.* 166 B, Socrates rogat: num putas Protagoram tibi umquam concessurum esse, *τὸν αὐτὸν εἶναι τὸν ἀνομοιούμενον τῷ πρὶν ἀνομοιοῦσθαι ὄντι; μᾶλλον δὲ τὸν εἶναί τινα, ἀλλ' οὐχὶ τούς, καὶ τούτους γιγνομένους ἀπείρους, ἐάνπερ ἀνομοίωσις γίγνηται.*

(2) *Theaet.* 160 C: Οὐκοῦν ὅτε δὴ τὸ ἐμὲ ποιοῦν ἐμοί ἐστι καὶ οὐκ ἄλλῳ, ἐγὼ καὶ αἰσθάνομαι αὐτοῦ, ἄλλος δ' οὔ; — Πῶς γὰρ οὔ; — Ἀληθὴς ἄρα ἐμοὶ ἡ ἐμὴ αἴσθησις· τῆς γὰρ ἐμῆς οὐσίας ἀεί ἐστι. καὶ ἐγὼ κριτὴς κατὰ τὸν Πρωταγόραν τῶν τε ὄντων ἐμοί, ὡς ἔστι, καὶ τῶν μὴ ὄντων, ὡς οὐκ ἔστιν.

nostrorum eadem est, nam ambo homines sumus (1). Quum autem illud quod unus quisque sentit revera ab ipso sentiatur, consequens est ut statuamus non suos tantum unicuique affectus esse, sed eosdem etiam veros, sive ut Socrates et Theaetetus rite concludunt dicentes, 151 E: *οὐκ ἄλλο τί ἐστιν ἐπιστήμη ἢ αἴσθησις·* — (152 C): *οἷα γὰρ αἰσθάνεται ἕκαστος, τοιαῦτα ἑκάστῳ καὶ κινδυνεύει εἶναι.* Quae sententia etiam sic enuntiari potest (152 B): *τὸ δέ γε φαίνεται αἰσθάνεσθαί ἐστιν.... φαντασία ἄρα καὶ αἴσθησις ταὐτὸν* —, unde patet phantasiam Protagorae simpliciter esse illud quod nobis sensuum ope apparet, non, quod Plato ipse volebat (vid. Phileb. 39 B), picturam in animo ortam e sensuum affectione (2). Itaque e Protagorae sententia recte

---

(1) *Theaet.* 152 A: οἷα μὲν ἕκαστα ἐμοὶ φαίνεται, τοιαῦτα μέν ἐστιν ἐμοί, οἷα δὲ σοί, τοιαῦτα δὲ αὖ σοί· ἄνθρωπος δὲ σύ τε κἀγώ. — *Ib.* C: οἷα γὰρ αἰσθάνεται ἕκαστος, τοιαῦτα ἑκάστῳ καὶ κινδυνεύει εἶναι.

(2) Ita *Cicero Acad. prior.* II, 46, 142: »Aliud iudicium Protagorae est, qui putet id cuique verum esse, quod cuique videatur." Nam, ut est in *Acad.* I, 11, 40: »quam ille (Zeno) *φαντασίαν*, nos *visum* appellemus licet." *Sext. Emp. adv. math.* VII, 60: Πρωταγόραν — ἐγκατέλεξάν τινες τῷ χορῷ τῶν ἀναιρούντων τὸ κριτήριον φιλοσόφων. ἐπεί φησι πάσας τὰς φαντασίας καὶ τὰς δόξας ἀληθεῖς ὑπάρχειν, καὶ τῶν πρός τι εἶναι τὴν ἀλήθειαν, διὰ τὸ πᾶν τὸ φανὲν ἢ δόξαν τινί, εὐθέως πρὸς ἐκεῖνον ὑπάρχειν· minus recte dicit: τὰς φαντασίας καὶ τὰς δόξας, nam Protagoras non ponebat sensuum affectus juxta opiniones, sed secundum eius doctrinam opinio est id quod aliquis sentit. At hac de re infra fusius.

dicere poterat Socrates (152 C): *Αἴσθησις ἄρα τοῦ ὄντος ἀεί ἐστι καὶ ἀψευδές, ὡς ἐπιστήμη οὖσα.* Quum autem haec *αἴσθησις* pro singulis hominibus varia sit, hoc veritatis criterium sibi posuit Protagoras (p. 152 A): *πάντων χρημάτων μέτρον ἄνθρωπος, τῶν μὲν ὄντων ὡς ἔστι, τῶν δὲ μὴ ὄντων, ὡς οὐκ ἔστιν·* (1) sive ut legitur et ibi et in Cratylo p.

---

(1) Iisdem verbis hoc Protagorae placitum reddunt *Diog. Laërt.* IX, 51; *Sext. Emp. adv. math.* VII, 60; *Pyrrh. hypot.* I, 32; *Aristocl.* ap. *Euseb. praep. euang.* XIV, 20. Paulo brevius placitum memoratur in *Theaet.* 160 D: κατὰ δὲ Πρωταγόραν τὸν σοφώτατον πάντων χρημάτων ἄνθρωπον μέτρον εἶναι· — *Arist. metaph.* IX, 1: Πρωταγόρας δ' ἄνθρωπόν φησι πάντων εἶναι μέτρον, ὥσπερ ἂν εἰ τὸν ἐπιστήμονα εἰπὼν ἢ τὸν αἰσθανόμενον. κτε. — *Ib.* X, 6: καὶ γὰρ ἐκεῖνος ἔφη πάντων χρημάτων εἶναι μέτρον ἄνθρωπον, οὔθεν ἕτερον λέγων ἢ τὸ δοκοῦν ἑκάστῳ τοῦτο καὶ εἶναι παγίως. τούτου δὲ γιγνόμενου τὸ αὐτὸ συμβαίνει καὶ εἶναι καὶ μὴ εἶναι, καὶ κακὸν καὶ ἀγαθὸν εἶναι, καὶ τἆλλα τὰ κατὰ τὰς ἀντικειμένας λεγόμενα φάσεις, διὰ τὸ πολλάκις τοισδὶ μὲν φαίνεσθαι τόδε εἶναι καλὸν τοισδὶ δὲ τουναντίον, μέτρον δ' εἶναι τὸ φαινόμενον ἑκάστῳ· et *Schol.* ἀπὸ φωνῆς Δάβιδ ad *cat.*, *Brandis*, p. 60, 30 *b*; πάντων χρημάτων μέτρον ὁ ἄνθρωπος· ὡς φαίνεται τὰ πράγματα, οὕτως καὶ ἔστιν· τὸ δοκοῦν ἑκάστῳ ἀληθές. *Hermias*, *Irr. gent. philos.* 4: Ἀλλ' ἐπὶ θἄτερα Πρωταγόρας ἑστηκὼς ἀνθέλκει με φάσκων: ὅρος καὶ κρίσις τῶν πραγμάτων ὁ ἄνθρωπος, καὶ τὰ μὲν ὑποπίπτοντα ταῖς αἰσθήσεσιν ἔστι πράγματα, τὰ δὲ μὴ ὑποπίπτοντα οὐκ ἔστιν ἐν τοῖς εἴδεσι τῆς οὐσίας. Placitum sic explicat *Sextus Pyrrh. hypot.* l. l. μέτρον μὲν λέγων τὸ κριτήριον, χρημάτων δὲ τῶν πραγμάτων, ὡς δυνάμει φάσκειν, πάντων πραγμάτων κριτήριον εἶναι τὸν ἄνθρωπον, τῶν μὲν ὄντων ὡς ἔστι, τῶν δὲ οὐκ ὄντων ὡς οὐκ ἔστιν. Idem porro,

385 E: *πάντων χρημάτων μέτρον εἶναι ἄνθρωπον, ὡς ἄρα οἷα μὲν ἐμοὶ φαίνηται τὰ πράγματα εἶναι, τοιαῦτα μὲν ἔστιν ἐμοί, οἷα δ' ἂν σοί, τοιαῦτα δ' αὖ σοί.*

Itaque Protagoras absolutum sensualismum praedicans, in homine nihil amplius agnoscebat quam praesentes sensuum perceptiones; et quum nihil sensibus praeponeret, eorum testimonium semper verum esse debet; nam nihil adest quod de eo iudicium ferre posset. Ubi autem apud antiquos, Protagorae placita referentes, mentionem fieri videmus de *ἐπιστήμῃ*, *δόξᾳ*, imo de *ψύχῃ*, hoc omnino est tenendum, eiusmodi vocabula non esse ipsius Protagorae, sed

---

adv. mathem. VII, 62—64 non male huius placiti rationem reddit: οὐκ ἔστι δὲ οἰκεῖον ἀπὸ τῶν διαφερουσῶν περιστάσεων τὰς διαφόρους περιστάσεις ἀθετεῖν. τουτέστιν, ἀπὸ μὲν τῶν ἐν τῷ σωφρονεῖν ὑποπιπτόντων τὰ ἐν τῷ μεμνημέναι φαινόμενα. ἀπὸ δὲ τῶν ὕπαρ τὰ κατὰ τοὺς ὕπνους. ἀπὸ δὲ τῶν ἐν γήρᾳ τὰ ἐν νηπιότητι. ὡς γὰρ αὐτὰ ἐκείνοις οὐ φαίνεται, οὕτω καὶ ἀνάπαλιν, τὰ τούτοις φαινόμενα, ἐκείνοις οὐ προσπίπτει. διόπερ εἰ ὅτι ὁ μεμνημὼς ἢ ὁ κοιμώμενος ἐν ποιᾷ διαθέσει θεωρεῖται, οὐκ ἔστι βέβαιος τῶν φαινομένων αὐτῷ κριτής. ἐπεὶ καὶ ὁ σωφρονῶν καὶ ὁ ἐγρηγορὼς ἐν ποιᾷ καθέστηκε διαθέσει, πάλιν οὐκ ἔσται πιστὸς πρὸς τὴν διάγνωσιν τῶν ὑποπιπτόντων αὐτῷ. μηδενὸς οὖν χωρὶς περιστάσεως λαμβανομένου, ἑκάστῳ πιστευτέον τῶν κατὰ τὴν οἰκεῖαν περίστασιν λανβανομένων. καὶ τούτῳ δὴ κινεῖν τινες ὑπενόησαν τὸ κριτήριον, ἐπείπερ τουτὶ μὲν τῶν καθ' αὑτὰ ὑποκειμένων δοκιμαστικὸν εἶναι βούλεται, τοῦτε ἀληθοῦς καὶ τοῦ ψεύδους διοριστικὸν ὑπάρχειν. ὁ δέ προσειρημένος ἀνὴρ, οὔτε καθ' αὑτό τι ὑπάρχον, οὔτε ψεῦδος ἀπολέλοιπε.

scriptorum, sophistae placita accommodantium ad lectorum suorum cogitandi loquendique rationem, quo melius ab ipsis intelligerentur. Hoc sibi propositum habens Plato de scientiae natura disquirens ita concludit: » secundum Protagoram homo est omnium rerum mensura, *κατὰ δε Θεαίτητον τούτων οὕτως ἐχόντων αἴσθησις ἐπιστήμη γίγνεται*" (*Theaet.* p. 160 E). Similiter apud eundem *δόξα* saepe substituitur *αἰσθήσει*, e. g. Theaet. 161 C, 168 B, Cratyl. 386 C, quod iure facere poterat, quia opinio est inferior scientiae gradus (1), quae, ut vidimus, apud Protagoram nihil est nisi praesens sensuum perceptio. Puto autem eum ideo voce *δόξᾳ* saepius usum esse, quia existimabat sublimiore criterio sublato, nihil amplius remanere quam meras opiniones; revera scientia est una, opiniones apud varios homines sunt variae. Tandem Diog. Laërtius (vid. sup. p. 3), quamquam male Platonis verba referens, recte tamen concludit ex absoluto materialismo sponte sequi *animum* nihil esse quam sensuum affectus.

Omnia autem quae a Platone contra Protagorae doctrinam de sensuum perceptione afferuntur, ad unum principium revocari possunt. Quaerebat enim

---

(1) De gradibus cognitionis humanae vid. *Plato Rep.* VII fin., ubi docet *ἐπιστήμην* referri ad *τὰ τοῦ λόγου* eamque esse *νόησιν* et *διάνοιαν*, *δόξαν* vero pertinere ad *τὰ τῆς αἰσθήσεως*, quae est iterum *πίστις* et *εἰκασία*.

ille id quod verum est in immutabilibus et perfectis ideis, quarum res adspectabiles sunt prava et corrupta simulacra; hinc sensuum affectibus nullam fidem esse habendam, visa oculorum efficere *ταραχὴν ἐν τῇ ψυχῇ*, ut est in rep. X, 602 C; quare in libris de legibus, IV, 716 C, Protagoreum illud *πάντων χρημάτων μέτρον ἄνθρωπος* spectans, ait: *ὁ δὴ θεὸς ἡμῖν πάντων χρημάτων μέτρον ἂν εἴη μάλιστα, καὶ πολὺ μᾶλλον ἢ που τὶς, ὥς φασιν, ἄνθρωπος.*

CAPUT IV.

Platonis expositio Philosophiae Protagoreae Aristotelis in primis testimoniis confirmatur.

Protagorae doctrinam de sensuum perceptione tradidimus ex Platonis Theaeteto, estque hic, ut in introductione ad hanc sectionem monuimus, unicus fons unde haec hauriatur. At in dubium vocari possit num ea, quam nos docet Plato, sit genuina sophistae doctrina; quare non erit labor supervacaneus, si huius testimonia etiam aliorum scriptorum locis confirmare conemur. Et hac in re ad neminem praeter Aristotelem confugiendum erit, qui, quamvis non data opera de Protagorae philosophia disputet, tamen eam variis locis memorat. Saepius etiam scho-

liastae ad Aristotelem Protagoram laudant; sed eorum testimonia ideo minoris pretii habeo, quia verisimile est iis non magis quam nobis fuisse facultatem libros Protagoreos inspiciendi, omnia vero quae habent exscripsisse e Platone.

Aristoteles variis locis physiologos antiquos perstringit, quo nomine etiamsi minime contendere velim eum semper Protagoreos significasse (1), tamen nonnulli sunt loci quibus id luculenter patet. Et primum quidem inspiciamus librum de *Anima* III, 2. Exponit ibi sensuum perceptionem, quo facto ita pergit: ἀλλ᾽ οἱ πρότερον φυσιολόγοι τοῦτο οὐ καλῶς ἔλεγον, οὐθὲν οἰόμενοι οὔτε λευκὸν οὔτε μέλαν εἶναι ἄνευ ὄψεως, οὐ δὲ χυμὸν ἄνευ γεύσεως. τῇ μὲν γὰρ ἔλεγον ὀρθῶς, τῇ δ᾽ οὐκ ὀρθῶς· διχῶς γὰρ λεγομένης τῆς αἰσθήσεως καὶ τοῦ αἰσθητοῦ, τῶν μὲν κατὰ δύναμιν τῶν δὲ κατ᾽ ἐνέργειαν, ἐπὶ τούτων μὲν συμβαίνει τὸ λεχθέν, ἐπὶ δὲ τῶν ἑτέρων οὐ συμβαίνει, ἀλλ᾽ ἐκεῖνοι ἁπλῶς ἔλεγον περὶ τῶν λεγομένων οὐχ ἁπλῶς. Ad

(1) Vid. e. g. *Io. Philopon.* ad *natur. ausc.* lib. III, p. 27 (1535): Ὅσοι φησι τῶν πάλαι φυσιολόγων μὴ ἀπέβλεψαν εἰς τὸ ποιητικὸν αἴτιον, ὥσπερ Ἀναξαγόρας .... Ἐμπεδοκλῆς δέ .... Ἀναξιμένης .... Θαλῆς .... Ἀναξίμανδρος .... Sic apud *Diog. Laërt.* VIII, 78 *Epicharmus* dicitur physiologus; apud *Sextum Emp. adv. math.* VII, 369 *Democritus*, *Epicurus* et *Protagoras* sunt physici. Universe opinor antiquos hoc nomen tribuisse iis philosophis, quos opponebant *idealistis*, quales erant v. c. Eleatici. Cf. *Trendel* ad Arist. l. l. p. 437 sqq.

quae verba Philoponus diserte monet his significatos fuisse Protagoreos (1). At vel sine hanc Philoponi animadversionem, nemo est cui inter veteros philosophos hoc placitum tribueremus nisi Protagorae, in primis quia eadem sententia aliis verbis iteratur in *Met.* VIII, 3. Disserit ibi philosophus de Megaricis, qui dicebant, aliquem solummodo aliquid *posse actu*, *non vero potentia*, quam sententiam, inquit, si ad res inanimatas transfers, τὸν Πρωταγόρου λόγον συμβήσεται λέγειν αὐτοῖς. ἀλλὰ μὴν οὐδ᾽ αἴσθησιν ἕξει οὐθὲν ἂν μὴ αἰσθάνηται μηδ᾽ ἐνεργῇ (2). Ex his autem verbis, obiter memoratis, liquet ea quae fusius et enucleatius docuit Plato, quod nihil est per se et omnia demum mutua actione activi et passivi factoris oriuntur revera a Protagora ita esse statuta (3).

(1) *Philoponi* verba haec sunt (p. 15), τοὺς Πρωταγορείους αἰνίττεται· λέγει δὲ αὐτοὺς ὀρθῶς λέγειν κατὰ τὸ λέγειν τὴν κατ᾽ ἐνέργειαν αἴσθησιν ταὐτὸν εἶναι τῷ κατ᾽ ἐνέργειαν αἰσθητῷ. οὐκ ὀρθῶς δὲ ἔλεγον, ἐπειδὴ καὶ τὰ δυνάμει ταυτά. καὶ ἁπλῶς ταυτὰ ἔλεγον. πάντα ἃ οὐ δεῖ ἁπλῶς ταυτὰ λέγειν. ἤλεγξε δὲ καὶ Πλάτων τὸ δόγμα τοῦτο ἐν Πρωταγόρᾳ (imo Θεαιτήτῳ) τῷ διαλόγῳ.

(2) Cf. *Schol.* (*Brandis* p. 778.): ὁ γὰρ Πρωταγόρας ἔφασκε μὴ εἶναι μήτε γλυκὺ μήτε ἄλλο μηδέν, ἀλλ᾽ οἷα ἂν αὐτὰ κρίνῃ ἡ αἴσθησις, τοιαῦτα καὶ ἔστιν. εἰ δὲ ἐκεῖνος ἐλήλεγκται πρότερον ἐν ταύτῃ τῇ πραγματείᾳ καὶ δέδεικται ψευδόμενος, δηλονότι καὶ οὗτοι ψεύδονται.

(3) Universe in Protagorae doctrina omnia esse relativa (τῶν πρός τί), docent *Schol. Amm.* et ἀπὸ φωνῆς Δάβιδ (*Brandis* p. 60).

Iam transeamus ad alium Stagiritae locum ubi iterum reprehendit multos *τῶν περὶ φύσεως* (*Metaph.* III, 4). Sunt enim, inquit, qui contendant, fieri posse ut idem sit et non sit; quod absurdum, quia tunc homo erit non homo, quae sunt tamen notiones contradictoriae; imo hac ratione omnia erunt simul et eadem, ita ut idem futuri sint triremis, paries et homo, ***ut necesse est eos statuere qui Protagorae rationem sequuntur.*** *Εἰ γάρ τῳ δοκεῖ μὴ εἶναι τριήρης ὁ ἄνθρωπος, δῆλον ὅτι οὐκ ἔσται τριήρης. ὥστε καὶ ἔστιν, εἴπερ ἡ ἀντίφασις ἀληθής.* Citat igitur Protagorae placitum tamquam exemplum; at male, nam omittit monere, si alicui videtur homo esse triremis, non propterea ***universe*** triremem fore hominem, sed ***ei cui id ita videtur***, ***non alii cuidam*** (1). Similiter in capite sequente dicit: *Ἔστι δ' ἀπὸ τῆς αὐτῆς δόξης καὶ ὁ Πρωταγόρου λόγος, καὶ ἀνάγκη ὁμοίως ἄμφω αὐτοὺς; ἢ εἶναι, ἢ μὴ εἶναι. Εἴτε γὰρ τὰ δοκοῦντα πάντα ἐστὶν ἀληθῆ, καὶ τὰ φαινόμενα, ἀνάγκη πάντα ἅμα ἀληθῆ καὶ ψευδῆ εἶναι* (2). Verum quidem est omnia

(1) Vid. *Schol. Alex.* ad h. l. (*Brandis*, p. 661 sq.): τὸ δὲ „καθάπερ ἀνάγκη τοῖς τὸν Πρωταγόρου λόγον λέγουσιν", εἴρηκεν, ὅτι ἀνάγκη κατὰ τὴν ἐκείνου δόξαν, λέγοντος πᾶν τὸ φαινομένον ᾧ φαίνεται ἀληθὲς εἶναι, τὴν ἀντιφασιν ἅμα ἐπὶ τοῦ αὐτοῦ ἀληθῆ εἶναι. Recte igitur hic supplevit illud ᾧ φαίνεται. Minus recte *ib. Asclep.*: ἔλεγε γὰρ ἐκεῖνος (ὁ Πρωταγόρας) ὅτι τὸ δοκοῦν ἑκάστῳ τοῦτό ἐστι καὶ ἀληθές.

(2) Nihil fere ad ulteriorem explicationem placiti Protagorae affert *Schol. Alex.* ad h. l. (*Brandis*, p. 667 sq.)

simul vera et falsa esse posse, sed non eidem homini eodem temporis articulo. Haec igitur verba, quamquam paulo negligentius conscripta (non enim consulto philosophus de Protagorae doctrina exponit), id confirmant quod Plato tradit, singulis hominibus suos esse proprios et privatos affectus, quos alius non sentit, neque alterum umquam fieri posse iudicem affectuum alterius.

Porro Aristoteles in eodem opere (IX, 1) agit de ***notione mensurae***, monet eam esse unitatem, individuam et semper cognatam ei cuius est mensura. »At, ait, scientiam quoque et ***sensum mensuram rerum*** dicimus esse, propterea quia per ea aliquid cognoscimus. Atqui ***mensurantur magis quam mensurent.*** Sed accidit nobis ac si alio nos mensurante cognosceremus quantinam sumus, eo quod toties nobis cubitalis mensura admota est. Protagoras autem hominem ait mensuram esse cunctorum (1), perinde ac si ***scientem aut sentientem*** diceret (2). Istos autem, quia habent ille quidem scientiam, hic vero sensum, quae dicimus obiectorum mensuras esse. Nihil igitur di-

(1) Verba Graeca adscripsimus supra p. 102 ad varietatem lectionis huius sententiae notandam.

(2) Vid. *Schol.* ad h. l. (*Brandis* p. 787): ὥστε τὸν ἄνθρωπον μέτρον λέγων ὁ Πρωταγόρας, τὴν ἐπιστήμην φημὶ μέτρον καὶ τὴν αἴσθησιν, οὐδὲν λέγων περιττὸν καὶ σοφὸν δοκεῖ σοφόν τι λέγειν. τίς οὖν ἀνάγκη ἦν εἰπεῖν ὅτι ὁ ἄνθρωπος μέτρον, ἀλλὰ μὴ ὅτι ἡ ἐπιστήμη καὶ ἡ αἴσθησις;

centes superfluum aliquid dicere videntur." — Idem placitum sophistae celeberrimum iterum memorat, *Met.* X, 6 (1). At h. l. originem sententiae investigat. Est enim hoc, inquit, universe principium *physiologorum;* eius autem origo haec est: *ἐκ τοῦ μὴ ταὐτὰ περὶ τῶν αὐτῶν ἅπαντας γιγνώσκειν, ἀλλ' τοιςδὶ μὲν ἡδὺ φαίνεσθαι τοιςδὶ δὲ τοὐναντίον.* Quam rationem ad hoc placitum perveniendi ideo expresse tradimus, quia haec est eadem qua Platone duce ad id pervenimus; qua in re igitur iterum Plato ab Aristotele confirmatur (2).

Hi sunt loci, quibus, quantum scio, Protagorae doctrinam de sensuum perceptione tangit Aristoteles: pauci sunt nec per se multum lucis affundunt Protagorae philosophiae, sed, ut iam monuimus, magni sunt pretii, quia scriptor ipse Protagorae libros legere potuit. Quamobrem comparatio locorum hunc fructum tulit, ut nobis persuasum sit, nos non frustra Theaetetum evolvisse ad veram Protagorae de sensuum perceptione cognoscendam. Caeteros auctores, qui hanc illamve Protagorae sententiam memorant, passim laudavimus iuxta Platonis testimonia. Eorum effata autem ideo minoris momenti habemus, quod multo serioris aetatis sunt et magis etiam quam Aristoteles

---

(1) Vid. sup. p. 102.

(2) Cum hac explicatione congruit etiam *Sextus Emp. adv. Math.* VII, 62 sqq., vid. sup. p. 103.

obiter tantum sophistae placita tangunt. Inter hos tamen eminet Sextus Empiricus, qui in utroque opere, *Pyrrh. hyp.* I, 32, et *adv. Math.* (logicos) VII, 48—65 et 369—389, data opera Protagorae philosophiam tractat, et hoc quidem eo consilio ut ostendat: *ὅτι* (Protagoras) *περὶ τοῦ τὴν ὕλην ῥευστὴν εἶναι, καὶ περὶ τοῦ τοὺς λόγους τῶν φαινομένων πάντως ἐν αὐτῇ ὑποκεῖσθαι, δογματίζει, ἀδήλων ὄντων καὶ ἡμῖν ἐφεκτῶν* (*Pyrrh. hypot.* 32, 219), quam ob causam reprehendit eos qui ponebant Protagoram *ἐν τῷ χορῷ τῶν ἀναιρούντων τὸ κριτήριον φιλοσόφων* (*adv. math.* VII, 60), et deinde dicit: *εἰ γὰρ τῶν φυσικῶν, οἱ μὲν πάντα ἀνῃρήκασι τὰ φαινόμενα, ὡς οἱ περὶ Δημόκριτον, οἱ δὲ πάντα ἔθεσαν ὡς οἱ περὶ τὸν Ἐπίκουρον καὶ Πρωταγόραν* (*Ib.* 369); quibus effatis falsa opinio de Protagora, quam facile sibi aliquis formare posset, eum omne veritatis criterium tulisse (1), refutatur; ponebat enim sophista, quod e Platone discimus, veritatem esse subiectivam non obiectivam. Sexto

---

(1) Quam opinionem habuisse videtur *Plut. adv. Colot.* 4: Ἀλλὰ τοσοῦτόν γε Δημόκριτος ἀποδεῖ τοῦ νομίζειν μὴ μᾶλλον εἶναι τοῖον ἢ τοῖον τῶν πραγμάτων ἕκαστον, ὥστε Πρωταγόρᾳ τῷ σοφιστῇ τοῦτο εἰπόντι μεμαχῆσθαι καὶ γεγραφέναι πολλὰ καὶ πιθανὰ πρὸς αὐτόν· — et *Them.* in *Arist. Anal.* I, p. 4 (1495): Δῆλον δὲ καὶ ἐκ τούτων, ὅτι γελοῖοι παντελῶς οἱ τῷ ἐνδόξῳ κρίνοντες τὴν πρότασιν τὴν ἀποδεικτικήν. καθάπερ ᾤετο ὁ Πρωταγόρας ἀποδεικτικὰς εἶναι προτάσεις, καὶ ταύτας τὸν ἐπιστάμενον ἐπιστήμην ἔχειν, τὸν δὲ ἔχοντα ἐπιστήμην εἰδέναι τί ἐστιν ἐπιστήμη.

autem hac in re maiorem quam in aliis rebus auctoritatem tribuimus, quia veterum philosophorum placita accurate plerumque explorat hoc unice consilio ut oppugnet omnes, qui ipsi videbantur *δογματίζειν*, quae vero huic consilio non inserviunt, saepe negligentius tradit; ita quae idem falso perhibet de materia iam notavimus, sup. p. 86 et 99.

CONCLUSIO.

Quae hactenus disputatione nostra de rebus quae sensibus percipiuntur persecuti sumus, haec sunt:

1°. In initio erat motus et praeter motum nihil.

2°. Per se nihil est, sed ut aliquid fiat (sit) duobus factoribus opus est **τῷ ποιοῦντι** et **τῷ πάσχοντι**, e quorum mutua actione oriuntur, tamquam intermedia, rerum qualitates.

3°. Nihil igitur percipimus nisi rerum qualitates.

4°. Factoribus mutatis haec intermedia quoque mutantur.

5°. Quod aliquis sentit ab altero non sentitur; hinc unusquisque suorum affectuum iudex est.

6°. Hinc sequitur veritatem unice positam esse in singulorum hominum affectibus sensuum, eamque esse subiectivam non obiectivam.

De his omnibus Protagoras egit in libro *'Αλήθεια* inscripto, quod patet e loco Theaet. p. 161 C, ubi Socrates dicit sententiam illam, ***hominem omnium rerum mensuram esse***, fuisse huius libri exordium (1). Memoratur hic liber porro in aliis Theaeteti et Cratyli locis (2).

---

(1) *Theaet.* 161 C, *Socrates* dicit: Τὰ μὲν ἄλλα μοι πάνυ ἡδέως εἴρηκεν, ὡς τὸ δοκοῦν ἑκάστῳ τοῦτο καὶ ἔστι· τὴν δ' ἀρχὴν τοῦ λόγου τεθαύμακα, ὅτι οὐκ εἶπεν ἀρχόμενος τῆς Ἀληθείας, ὅτι πάντων χρημάτων μέτρον ἐστὶν ὗς ἢ κυνοκέφαλος· ad quae deinde, p. 166 C, respondet *Protagoras:* ὗς δὲ δὴ καὶ κυνοκεφάλους λέγων οὐ μόνον αὐτὸς ὑηνεῖς, ἀλλὰ καὶ τοὺς ἀκούοντας τοῦτο δρᾶν εἰς τὰ συγγράμματά μου ἀναπείθεις, οὐ καλῶς ποιῶν. — *Scholiast.* ad priorem locum adscripsit: Τὸ τοῦ Πρωταγόρου σύγγραμμα, ἐν ᾧ ταῦτα δοξάζει, Ἀλήθεια ἐκαλεῖτο ὑπὸ Πρωταγόρου.

(2) *Theaet.* 162 A: εἰ ἀληθὴς ἡ Ἀλήθεια Πρωταγόρου, ἀλλὰ μὴ παίζουσα ἐκ τοῦ ἀδύτου τῆς βίβλου ἐφθέγξατο. — *Ib.* 170 E: ἆρ' οὐχὶ ἀνάγκη .... μηδενὶ δὴ εἶναι ταύτην τὴν Ἀλήθειαν, ἣν ἐκεῖνος ἔγραψεν; — *Cratyl.* 386 C: οἷόν τε οὖν ἐστίν, εἰ Πρωταγόρας ἀληθῆ ἔλεγε καὶ ἔστιν αὕτη ἡ Ἀλήθεια, τὸ οἷα ἂν δοκῇ ἑκάστῳ κτε. — *Ib.* 391 B sq. disquirunt Socrates et Hermogenes περὶ τῆς ὀρθότητος τῶν ὀνομάτων· — ille ait: Ὀρθοτάτη μὲν τῆς σκέψεως, ὦ ἑταῖρε, μετὰ τῶν ἐπισταμένων, χρήματα ἐκείνοις τελοῦντα καὶ χάριτας κατατιθέμενον. εἰσὶ δὲ οὗτοι οἱ σοφισταί, οἷσπερ καὶ ὁ ἀδελφός σου Καλλίας πολλὰ τελέσας χρήματα σοφὸς δοκεῖ εἶναι. ἐπειδὴ δὲ οὐκ ἐγκρατὴς εἶ τῶν πατρῴων, λιπαρεῖν χρὴ τὸν ἀδελφὸν καὶ δεῖσθαι αὐτοῦ διδάξαι σε τὴν ὀρθότητα περὶ τῶν τοιούτων (ὀνομάτων) ἣν ἔμαθε παρὰ Πρωταγόρου. Hermogenes respondit: Ἄτοπος μέντ' ἂν εἴη μου ἡ δέησις, εἰ τὴν μὲν Ἀλήθειαν τὴν Πρωταγόρου ὅλως οὐκ ἀποδέχομαι, τὰ δὲ τῇ τοιαύτῃ Ἀληθείᾳ ῥηθέντα ἀγαπῴην ὥς του ἄξια.

Ex ultimo Cratyli loco, quem in annotatione exscripsimus patet in Ἀληθείᾳ illa quoque scriptum fuisse *περὶ τῶν ὀνομάτων ὀρθότητος*. De hac autem quaestione in eiusmodi libro actum fuisse, nemo mirabitur reputans ex Protagorae philosophandi ratione necessario sequi, ut multis in rebus novam terminologiam induceret; vid. *Theaet.* 152 D, ubi monetur pro *εἶναι* dicendum esse *γίγνεσθαι*. Cf. p. 156 E et 183 A sq., ubi Socratem sic habes loquentem: Πλήν γε, ὦ Θεόδωρε, ὅτι οὕτω τε εἶπον καὶ οὐχ οὕτω. δεῖ δὲ οὐδὲ τοῦτο οὕτω λέγειν· οὐδὲ γὰρ ἂν ἔτι κινοῖτο οὕτω· οὐδ᾽ αὖ μὴ οὕτω· οὐδὲ γὰρ τοῦτο κίνησις· ἀλλὰ τιν᾽ ἄλλην φωνὴν θετέον τοῖς τὸν λόγον τοῦτον λέγουσιν, ὡς νῦν γε πρὸς τὴν αὑτῶν ὑπόθεσιν οὐκ ἔχουσι ῥήματα, εἰ μὴ ἄρα τὸ οὐδ᾽ ὅπως. μάλιστα δ᾽ οὕτως ἂν αὐτοῖς ἁρμόττοι, ἄπειρον λεγόμενον. ΘΕΟ. Οἰκειοτάτη γοῦν διάλεκτος αὕτη αὐτοῖς. Ita *ποιότης* videtur esse ὄνομα ἀλλόκοτον, *Theaet.* p. 182 A. Estque haec res nova nomina creandi in philosophia saepe necessaria. Id lubenter concedere solebat Aristoteles (1). In primis autem Stoici, praeeunte Zenone, noti erant utpote »non tam rerum inventores quam verborum novorum" (2). Magis etiam quam

(1) Vid *Arist. Cat.* per totum cap. VII, et tandem sect. 15, concludens: *κᾂν μὲν ὄνομα ᾖ κείμενον, ῥᾳδία ἡ ἀπόδοσις γίνεται. μὴ ὄντος δὲ, ἀναγκαῖον ἴσως ὀνόματα ποιεῖν.*

(2) Vid. *Cic. Fin.* III, 2, 5; 4, 15; *Legg.* I, 13, 38; 20, 53; *Tusc.* V, 11, 32; *Acad.* II, 6, 16.

apud antiquos id obtinet apud recentiores, in primis in Germania, philosophos, qui quotidie fere nova vocabula componunt, ut quae in mente habent, quam brevissime et aptissime cum aliis communicent (1).

Tradit Porphyrius apud Euseb. praep. euang. X, 3 (2), Protagoram recitasse *λόγον περὶ τοῦ ὄντος*, in quo disputaverat contra *τοὺς ἓν τὸ ὂν εἰςάγοντας*, quod confirmatur testimonio Sexti Empirici adv. Math. VII, 60, narrantis: *ἐναρχόμενος γοῦν τῶν καταβαλλόντων ἀνεφώνησε· πάντων χρημάτων —*. Illud *καταβαλλόντων* supplendum esse per *λόγων* atque intelligi oportere librum aliquem Protagorae acutissime vidit BERNAYS (*Rheinisches Museum* 1850, p. 464 sqq.) (3); quamquam minus recte me iudice coniecit exstitisse unum Protagorae librum hac quadruplici apud antiquos scriptores inscriptione insignitum: *ἀλήθεια, περὶ τοῦ*

(1) Vid. e. g. *Krause, Vorlesungen ueb. d. Syst.*: praef. p. XVI, 251 in ann., in primis p. 361, et de novis vocabulis ab ipso introductis disserens p. 404, ann.

(2) *Eusebii* verba haec sunt: *Πρωταγόρου γὰρ τὸν περὶ τοῦ ὄντος ἀναγινώσκων λόγον πρὸς τοὺς ἓν τὸ ὂν εἰςάγοντας τοιαύταις αὐτὸν εὑρίσκω χρώμενον ἀπαντήσεσιν.*

(3) Eodem faciunt verba, quae in Protagora inveniuntur *καθέλοι τοῦτο τὸ ῥῆμα ὥσπερ εὐδοκιμοῦντα ἀθλητήν — κολοῦσαι*, 343 C. — *μὴ ἡμῖν ὁ Πρωτ. τὸν Σιμωνίδην ἐκπέρσῃ* 340 A.; tum vero *τὸν μὲν ἑστῶτά ποτε καταβάλοι ἄν τις, ὥστε κείμενον ποιῆσαι*, 344 C. Verbo *καταβάλλειν* opponitur *ἐπανορθοῦν*, 340 D.

ὄντος, *καταβάλλοντες* et *ἀντιλογιῶν δύο*. Res autem simplicissima est: Protagorae liber fuit inscriptus *ἀλήθεια*· at quum in philosophia sua exponenda, qua *τὸ εἶναι* plane tollebat, necessario disputare deberet contra eos qui *τὸ εἶναι* ponebant, Porphyrius, argumentum huius refutationis spectans, tradidit sophistam recitasse *λόγον περὶ τοῦ ὄντος* (in *αληθείᾳ* contentum), Sextus autem, formam huius partis *τῆς ἀληθείας* unice animadvertens, rite dixit eam continuisse *λόγους καταβάλλοντας*. Nihil autem est quod probabilem reddat eiusdem Bernaysi suspicionem, quartum *ἀληθείας* titulum fuisse *ἀντιλογιῶν δύο*. Porro satis notus est error Menagii ad Diog. Laërt. IX, 55, librum Protagorae *περὶ τοῦ ὄντος* confundentis cum Gorgiae libro *περὶ τοῦ μὴ ὄντος*, inde ortus, quod subiectum eorum quae leguntur apud Sext. Emp. adv. math. VII, 65, putavit esse ***Protagoras***, quum luce clarius pateat id esse ***Gorgias***.

SECTIO II.

De homine membro societatis humanae.

INTRODUCTIO.

Ars sophistica, ait Protagoras in cognomine dialogo (316 D), antiqua est quidem, sed qui eam tractaverunt ex antiquis, metuentes invidiam ex ea oriundam, tamquam specie et tegimento usi sunt partim poësi, ut Homerus, Hesiodus et Simonides, partim initiationibus et oraculis ut Orpheus et Musaeus, alii aliis artibus. Mihi vero, addit (317 A), cum his omnibus, quantum ad hoc quidem attinet, non convenit; palam profiteor me esse sophistam et hominum institutorem, et credo hanc illa multo meliorem esse cautionem.

Et iure Protagoras existimabat hanc esse optimam *εὐλάβειαν*, ut philosophia sua imbueret multos nobiles

adolescentes, qui certe *philosophum* comtemsissent, sed *sophistam* sequebantur, a cuius disciplina exspectabant, ut aliquando dicendi et reipublicae gerendae periti fierent.

Quamquam igitur hac in re ab antiquis illis sapientibus, quos appellabat sophistas, dissentiebat Protagoras, tamen eatenus eorum exemplum secutus est, quatenus gravissima philosophiae placita saepe populari ratione, adhibitis mythis et exemplis e communi hominum vita, cum aequalibus suis communicabat.

Eiusmodi enim formam adhibere utique oportebat eum, qui volebat non solum discipulos aliquos formare, sed etiam excelsum habebat consilium homines universe instituendi (1). Etenim adhibita eiusmodi forma, quae apta esset communi aequalium suorum sentiendi rationi, et melius ab iis intelligebatur, et eius placita iis non ita nova erant ut ab ipsorum opinionibus abhorrerent; contra et facilius ab iis suscipiebantur et magis iis commendabantur. Utique hic valet quod Gorgiam dicentem facit Plato in *Gorgia* (p. 445 A): »orator non est *doctor* iusti et iniusti in iudiciis aliisque concionibus, sed id modo efficere studet ut auditores ipsi habeant *fidem;* non enim res tam graves tam exiguo temporis spatio docere possit multitudinem hominum."

---

(1) Vid. *Prot.* 317 B, et quae monuimus p. 68 de discrimine discipulorum et auditorum vulgarium.

Luculentissimum huius docendi rationis exemplum habemus in Protagora. Verba facit ibi sophista non coram discipulis paucis, sed in concione multorum auditorum, qui in Calliae domum convenerant ad sophistas ibi hospitio exceptos videndos et audiendos (Prot. 317 D).

Eiusmodi adsidente corona Socrates sophistam rogat, quosnam fructus discipulus aliquis ex eius institutione percepturus sit (318 A). Ad quae hic non dubitanter respondet, se effecturum esse ut discipulus in dies melior evadat. At Socrate iterum rogante, qua in re sophista homines meliores facturus sit; hic virtutem, quam docebat, ita definit ut contineatur arte oeconomica et politica, quibus homines sibi et civitati optime prospiciant (318 E). Et Socrate contendente virtutem eo sensu, quo ipse eam intelligebat, doceri non posse (319 A — 320 B), sophista deinde fuse docet virtutem, si constituatur arte oeconomica et politica, omnibus quidem innatam esse, sed utique amplius excoli debere (320 C sqq.).

Videt autem sophista quales sibi auditores habeat, perspicit quam difficiles et a vulgari cogitandi ratione alienae sint res, quas nunc sit expositurus, proponit igitur iis sententiam suam communicare fabulam (*μῦθον*) enarrando.

Et ea quae deinde sequuntur eatenus efficiunt mythum, quatenus narratio quam Protagoras auditores suos docet, hausta est e duabus traditionibus quas

apud Hesiodum (1) invenimus quaeque in ore populi vivebant; altera est illa qua Prometheus Iovem turpi fraude decepit et ignem, hanc ob causam hominibus ademtum, e coelo furatus est, altera vero qua Vulcanus, Iovis iussu, foeminam e terra et igne formavit, quam deinde Minerva et Mercurius variis donis ornaverunt (2). At sophista his fabulis ita usus est, ut eas quam maxime accommodaret ad res quas earum *προσχήματι* adhibito auditoribus commendare vellet (3).

Haec sophistae ratio eiusque consilium nos monent ne ipsi tribuamus quae sunt tribuenda vulgaribus auditorum eius opinionibus de religione; hinc dii illi res humanas moderantes, hinc homines e terra et igne formati, hinc ignis divinitus hominibus tributus, alia, quae omnia iam apud Hesiodum invenimus,

---

(1) Vid. *Hesiod. theog.* 507—616; *Opp.* 47—107. Cf. ***Apollod.*** I, 7; ***Paus.*** I, 24, 7. Cf. *Welcker, Rhein. Mus.* 1835, p. 386 sqq. in *Simonidis Amorgini Iambi qui supersunt*, afferens quae de his fabulis inveniuntur apud alios poetas, *Phocylidem*, *Horatium*, *Anacreontem*, *in fabulis Aesopicis*, aliis.

(2) Cf. *P. van Limburg Brouwer, Hist. de la civilisation morale et réligieuse des Grecs*, Groningue 1834, p. 210 sqq., et *A. Ekker*, specimen in Protagorae apud Platonem fabulam de Prometh. etc. Ultrai. 1822 p. 20 sqq.

(3) Vid. de utriusque fabulae apud Hesiodum et Platonem discrimine, *Ekker* l. l. p. 38 sqq.

quin ne notiones quidem illae *αἰδοῦς* et *δίκης* ita sunt premendae, ut eas Protagorae unice proprias fuisse existimemus. Erant eae pervulgares apud antiquos poëtas Homerum, Hesiodum, alios (1), sed Protagoras eas ut caetera illa ita adhibuit, ut auditores intelligerent, qualem sibi vellet artem politicam.

Itaque hinc nobis id agendum est, ut demtis ornamentis poëticis ex hoc mytho eam sententiam eliciamus, quam sophista auditoribus suis commendare voluit, ut constanter cogitemus eum in hac fabula enarranda id egisse, quod dicit Socrates in Theaeteto (152 C): *καὶ τοῦτο ἡμῖν μὲν ᾐνίξατο τῷ πόλλῳ συρφετῷ, τοῖς δὲ μαθηταῖς ἐν ἀποῤῥήτῳ τὴν ἀλήθειαν ἔλεγεν·* et id nobis faciendum est quod in eodem dialogo dicit Socrates (155 E): *ἀνδρός, μᾶλλον δὲ ἀνδρῶν ὀνομαστῶν τῆς διανοίας τὴν ἀλήθειαν ἀποκεκρυμμένην συνεξερευνήσωμαι αὐτῶν.*

Sed est aliquid quod nos magnopere iuvet in disquisitione de hac fabula. Dicit enim Protagoras in ulteriore sua expositione de arte politica (324 D): *οὐκέτι μῦθόν σοι ἐρῶ, ἀλλὰ λόγον.* Hi ambo autem *μῦθος* et *λόγος* sibi invicem opponuntur (2); nimirum quum *μῦθος* spectet popularem docendi rationem, *λόγον* contra tunc adhibet sophista quum disputatio

---

(1) Vid. *Ekker* l. l. p. 85 et 91 sqq.

(2) Cf. praeter hunc locum, *Prot.* 328 C: *μῦθον καὶ λόγον εἴρηκα·* 344 B.

cum Scocrate solo continuetur. Ex hac autem ulteriore disquisitione reapse liquere debet quantum in praecedente illa populari expositione auditorum suorum opinionibus religiosis indulserit.

Antequam autem hanc in rem ulterius inquirimus opus est ut rationes reddamus, quidni, prouti alii fecerunt, hanc sectionem inscripserimus: ***de Protagorae ethica*** aut ***de eius placitis moralibus***. Et causa quidem simplicissima est; nam facile probari potest, in Protagorae philosophia de morum doctrina sermonem esse non potuisse. Si enim homo est omnium rerum mensura, de virtute et vitio, de iusto et iniusto, omnes aeque recte sentiunt, et virtutis magistro, qualem ipse se appellare solebat Protagoras, nihil amplius relinquitur, nisi ut doceat quid sit hominibus utile, hac enim in re alter altero revera sapientior est (1).

---

(1) Vid. *Theaet.* p. 172 A: *οὐκοῦν καὶ περὶ πολιτικῶν* (prouti in rebus privatis) *καλὰ μὲν καὶ αἰσχρὰ καὶ δίκαια καὶ ἄδικα καὶ ὅσια καὶ μή, οἷα ἂν ἑκάστη πόλις οἰηθεῖσα θῆται νόμιμα ἑαυτῇ, ταῦτα καὶ εἶναι τῇ ἀληθείᾳ ἑκάστῃ, καὶ ἐν τούτοις μὲν οὐδὲν σοφώτερον οὔτε ἰδιώτην ἰδιώτου οὔτε πόλιν πόλεως εἶναι· ἐν δὲ τῷ ξυμφέροντα ἑαυτῇ ἢ μὴ ξυμφέροντα τίθεσθαι, ἐνταῦθ', εἴπερ που αὖ ὁμολογήσει ξυμβουλόν τε ξυμβούλου διαφέρειν καὶ πόλεως δόξαν ἑτέραν ἑτέρας πρὸς ἀλήθειαν, καὶ οὐκ ἂν πάνυ τολμήσειε φῆσαι, ἃ ἂν θῆται πόλις ξυμφέροντα οἰηθεῖσα αὑτῇ, παντὸς μᾶλλον ταῦτα καὶ ξυνοίσειν. ἀλλ' ἐκεῖ, οὗ λέγω, ἐν τοῖς δικαίοις καὶ ἀδίκοις, καὶ ὁσίοις καὶ ἀνοσίοις, ἐθέλουσιν ἰσχυρίζεσθαι, ὡς οὐκ ἔστι φύσει αὐτῶν οὐδὲν οὐσίαν ἑαυτοῦ ἔχον, ἀλλὰ τὸ κοινῇ δόξαν τοῦτο γίγνεται ἀληθὲς τότε, ὅταν δόξῃ καὶ ὅσον ἂν δοκῇ χρόνον.*

Hoc luculenter exponit ipse Protagoras in Theaeteto p. 166 C—168 C, ubi sophistae munus comparatur cum medici; quod sano homini dulce videtur et est, idem aegrotanti amarum videtur et est; uterque sentit id quod singulis pro utriusque conditione verum est, nec aegrotans minus recte sentit quam sanus; sed conditio tamen sani melior est quam conditio aegrotantis; munus autem medici in eo versatur ut aegrotantem sensim ita immutet, ut id quod ei antea revera amarum erat, ei sensim dulce fiat; nam melius est iucundi aliquid sentire quam iniucundi; idem efficit agriculturae peritus in plantis; idem rhetores in civitate, quorum munus id est, ut id, quod iustum habetur, simul sit bonum; denique sophista idem efficit in animis hominum, nimirum ut verum quod singuli existimant ita immutetur ut simul fiat bonum. Itaque Protagoras doctrinam suam ita definire solebat, ut eam esse diceret ***εὐβουλίαν περί τε τῶν οἰκείων, ὅπως ἂν ἄριστα τὴν αὑτοῦ οἰκίαν διοικοῖ, καὶ περὶ τῶν τῆς πόλεως ὅπως τὰ τῆς πόλεως δυνατώτατος ἂν εἴη καὶ πράττειν καὶ λέγειν*** (***Prot.*** p. 318 E). Quum igitur sophistae professio hominem spectet et ipsum per se, et quatenus pertineat ad societatem humanam, nos quoque in hac sectione Protagorae distinctionem sequemur. Fortasse autem attendens ad ea quae monuimus nonnemo mirabitur, nos in Protagorae philosophia exponenda de virtute loqui; sed quomodo hoc vocabulum sit intelligendum, tunc de-

mum indicare poterimus, postquam paulo ulterius in hacce philosophiae Protagoreae parte progressi sumus.

CAPUT I.

De conditione hominis extra societatem humanam.

Ut in introductione monuimus, Protagoras doctrinam suam de progressione hominis ad humanitatem in elegantissima illa fabula de Prometheo et Epimetheo (Prot. p. 320 C sqq.) exposuit, quam hic integram disquisitioni nostrae praemittemus.

Ἦν γάρ ποτε χρόνος, ὅτε θεοὶ μὲν ἦσαν, θνητὰ δὲ γένη οὐκ ἦν. ἐπειδὴ δὲ καὶ τούτοις χρόνος ἦλθεν εἱμαρμένος γενέσεως, τυποῦσιν αὐτὰ θεοὶ γῆς ἔνδον ἐκ γῆς καὶ πυρὸς μίξαντες καὶ τῶν ὅσα πυρὶ καὶ γῇ κεράννυται. ἐπειδὴ δ' ἄγειν αὐτὰ πρὸς φῶς ἔμελλον, προςέταξαν Προμηθεῖ καὶ Ἐπιμηθεῖ κοσμῆσαί τε καὶ νεῖμαι δυνάμεις ἑκάστοις ὡς πρέπει. Προμηθέα δὲ παραιτεῖται Ἐπιμηθεὺς αὐτὸς νεῖμαι· νείμαντος δ' ἐμοῦ, ἔφη, ἐπίσκεψαι. καὶ οὕτω πείσας νέμει. νέμων δὲ τοῖς μὲν ἰσχὺν ἄνευ τάχους προςῆπτε, τὰ δ' ἀσθενέστερα τάχει ἐκόσμει· τὰ δὲ ὥπλιζε, τοῖς δ' ἄοπλον διδοὺς φύσιν ἄλλην τιν' αὐτοῖς ἐμηχανᾶτο δύναμιν εἰς σωτηρίαν. ἃ μὲν γὰρ αὐτῶν σμικρότητι ἤμπισχε, πτηνὸν φυγὴν ἢ κατάγειον οἴκησιν ἔνεμεν· ἃ δὲ ηὖξε μεγέθει, τῷδε αὐτῷ αὐτὰ ἔσωζε· καὶ τἆλλα οὕτως ἐπανισῶν ἔνεμε. ταῦτα δὲ ἐμηχανᾶτο εὐλάβειαν ἔχων μή τι γένος

ἀϊστωθείη. ἐπειδὴ δὲ αὐτοῖς ἀλληλοφθοριῶν διαφυγὰς ἐπήρκεσε, πρὸς τὰς ἐκ Διὸς ὥρας εὐμάρειαν ἐμηχανᾶτο ἀμφιεννὺς αὐτὰ πυκναῖς τε θριξὶ καὶ στερεοῖς δέρμασιν, ἱκανοῖς μὲν ἀμῦναι χειμῶνα, δυνατοῖς δὲ καὶ καύματα, καὶ εἰς εὐνὰς ἰοῦσιν ὅπως ὑπάρχοι τὰ αὐτὰ ταῦτα στρωμνὴ οἰκεία τε καὶ αὐτοφυὴς ἑκάστῳ· καὶ ὑπὸ ποδῶν τὰ μὲν ὁπλαῖς, τὰ δὲ θριξὶ καὶ δέρμασι στερεοῖς καὶ ἀναίμοις. τοὐντεῦθεν τροφὰς ἄλλοις ἄλλας ἐξεπόριζε, τοῖς μὲν ἐκ γῆς βοτάνην, ἄλλοις δὲ δένδρων καρπούς, τοῖς δὲ ῥίζας· ἔστι δ' οἷς ἔδωκεν εἶναι τροφὴν ζώων ἄλλων βοράν· καὶ τοῖς μὲν ὀλιγογονίαν προςῆψε, τοῖς δ' ἀναλισκομένοις ὑπὸ τούτων πολυγονίαν, σωτηρίαν τῷ γένει πορίζων. ἅτε δὴ οὖν οὐ πάνυ τι σοφὸς ὢν ὁ Ἐπιμηθεὺς ἔλαθεν αὑτὸν καταναλώσας τὰς δυνάμεις εἰς τὰ ἄλογα. λοιπὸν δὴ ἀκόσμητον ἔτι αὐτῷ ἦν τὸ ἀνθρώπων γένος, καὶ ἠπόρει ὅ τι χρήσαιτο. ἀποροῦντι δὲ αὐτῷ ἔρχεται Προμηθεὺς ἐπισκεψόμενος τὴν νομήν, καὶ ὁρᾷ τὰ μὲν ἄλλα ζῶα ἐμμελῶς πάντων ἔχοντα, τὸν δὲ ἄνθρωπον γυμνόν τε καὶ ἀνυπόδητον καὶ ἄστρωτον καὶ ἄοπλον. ἤδη δὲ καὶ ἡ εἱμαρμένη ἡμέρα παρῆν, ἐν ᾗ ἔδει καὶ ἄνθρωπον ἐξιέναι ἐκ γῆς εἰς φῶς. ἀπορίᾳ οὖν ἐχόμενος ὁ Προμηθεύς, ἥντινα σωτηρίαν τῷ ἀνθρώπῳ εὕροι, κλέπτει Ἡφαίστου καὶ Ἀθηνᾶς τὴν ἔντεχνον σοφίαν σὺν πυρί — ἀμήχανον γὰρ ἦν ἄνευ πυρὸς αὐτὴν κτητήν τῳ ἢ χρησίμην γενέσθαι —, καὶ οὕτω δὴ δωρεῖται ἀνθρώπῳ. τὴν μὲν οὖν περὶ τὸν βίον σοφίαν ἄνθρωπος ταύτῃ ἔσχε, τὴν δὲ πολιτικὴν οὐκ εἶχεν· ἦν γὰρ παρὰ τῷ Διί· τῷ δὲ Προμηθεῖ εἰς μὲν τὴν ἀκρόπολιν τὴν τοῦ Διὸς οἴκησιν οὐκέτι ἐνεχώρει εἰςελθεῖν· πρὸς δὲ καὶ αἱ Διὸς φυλακαὶ φοβεραὶ ἦσαν· εἰς δὲ τὸ τῆς Ἀθηνᾶς καὶ Ἡφαίστου οἴκημα τὸ κοινόν, ἐν ᾧ ἐφιλοτεχνείτην, λαθὼν εἰςέρχεται, καὶ κλέψας τήν τε ἔμπυρον τέχνην τὴν τοῦ Ἡφαίστου καὶ τὴν ἄλλην τὴν τῆς Ἀθηνᾶς δίδωσιν ἀνθρώπῳ,

καὶ ἐκ τούτου εὐπορία μὲν ἀνθρώπῳ τοῦ βίου γίγνεται, Προμηθέα δὲ δι' Ἐπιμηθέα ὕστερον, ᾗπερ λέγεται, κλοπῆς δίκη μετῆλθεν.

Ἐπειδὴ δὲ ὁ ἄνθρωπος θείας μετέσχε μοίρας, πρῶτον μὲν διὰ τὴν τοῦ θεοῦ συγγένειαν ζώων μόνον θεούς ἐνόμιζε, καὶ ἐπεχείρει βωμούς τε ἱδρύεσθαι καὶ ἀγάλματα θεῶν· ἔπειτα φωνὴν καὶ ὀνόματα ταχὺ διηρθρώσατο τῇ τέχνῃ, καὶ οἰκήσεις καὶ ἐσθῆτας καὶ ὑποδέσεις καὶ στρωμνάς καὶ τάς ἐκ γῆς τροφὰς εὕρετο. οὕτω δὴ παρεσκευασμένοι κατ' ἀρχάς ἄνθρωποι ᾤκουν σποράδην, πόλεις δὲ οὐκ ἦσαν. ἀπώλλυντο οὖν ὑπὸ τῶν θηρίων διά τὸ πανταχῇ αὐτῶν ἀσθενέστεροι εἶναι, καὶ ἡ δημιουργικὴ τέχνη αὐτοῖς πρὸς μὲν τροφὴν ἱκανὴ βοηθὸς ἦν, πρὸς δὲ τὸν τῶν θηρίων πόλεμον ἐνδεής· πολιτικὴν γάρ τέχνην οὔπω εἶχον, ἧς μέρος πολεμική. ἐζήτουν δὴ ἀθροίζεσθαι καὶ σώζεσθαι κτίζοντες πόλεις. ὅτ' οὖν ἀθροισθεῖεν, ἠδίκουν ἀλλήλους ἅτε οὐκ ἔχοντες τὴν πολιτικὴν τέχνην, ὥςτε πάλιν σκεδαννύμενοι διεφθείροντο. Ζεὺς οὖν δείσας περὶ τῷ γένει ἡμῶν, μὴ ἀπόλοιτο πᾶν, Ἑρμῆν πέμπει ἄγοντα εἰς ἀνθρώπους αἰδῶ τε καὶ δίκην, ἵν' εἶεν πόλεων κόσμοι τε καὶ δεσμοὶ φιλίας συναγωγοί. ἐρωτᾷ οὖν Ἑρμῆς Δία, τίνα οὖν τρόπον δοίη δίκην καὶ αἰδῶ ἀνθρώποις. Πότερον ὡς αἱ τέχναι νενέμηνται, οὕτω καὶ ταύτας νείμω; νενέμηνται δὲ ὧδε· εἷς ἔχων ἰατρικὴν πολλοῖς ἱκανὸς ἰδιώταις, καὶ οἱ ἄλλοι δημιουργοί. καὶ δίκην δὴ καὶ αἰδῶ οὕτω θῶ ἐν τοῖς ἀνθρώποις, ἢ ἐπὶ πάντας νείμω; Ἐπὶ πάντας, ἔφη ὁ Ζεύς, καὶ πάντες μετεχόντων. οὐ γάρ ἂν γένοιντο πόλεις, εἰ ὀλίγοι αὐτῶν μετέχοιεν ὥςπερ ἄλλων τεχνῶν. καὶ νόμον γε θὲς παρ' ἐμοῦ τὸν μὴ δυνάμενον αἰδοῦς καὶ δίκης μετέχειν κτείνειν ὡς νόσον πόλεως (1).

---

(1) Reperitur haec fabula apud *Himer. Or.* XXI, 10;

Variae sunt virorum doct. de huius fabulae auctoritate sententiae. Non probandum est iudicium quod tulit Frei, quippe nullis certis argumentis nixum, eam esse fragmentum libri Protagorae **περὶ τῆς ἐν ἀρχῇ καταστάσεως**, de cuius tituli significatione ab argumento huius fabulae prorsus aliena, in fine huius sectionis videbimus. Verum sit genus dicendi non plane esse Platonicum (1), tamen effici inde non potest, ipsi Protagorae acceptum referri debere, cui minime illam fabulam vindicavit Philostratus (vid. sup p. 9); quin longe verisimilius est Platonem Protagoram imitatum esse eadem ratione qua et Hippiae et Prodici dictionem imitatus est. Si quis autem contendere velit verba esse ipsius Protagorae non in fabula ipsa est subsistendum, sed ea quae a p. 322 D usque ad 328 D sequuntur etiam Protagorae sunt adscribenda, quia intime cum praecedentibus cohaerent et eadem loquendi ratio in iis servatur, quod probare conabimur in huius partis sectione tertia.

In priore mythi parte sophista, adhibitis fabulis Hesiodeis supra memoratis, allegorice significat homini

---

valde immutata apud *Themist. Or.* XXVII, p. 338 (407 Dind.); indicatur apud *Iulian. Or.* VI, p. 194 Recte *Frei* p. 186 reprehendit *Herbstium* et *Kayserum* multos locos citantes ad Protagoram minime pertinentes.

(1) Cf. *Groen van Prinsterer, prosopographia Platonica.* Lugd. Bat. p. 82 sqq.

innatas esse facultates nonnullas arcte coniunctas cum pulchri studio, quibus commodo suo prospicit.

Homo, eadem fere ratione qua id de Pandora legimus, una cum caeteris animalium generibus formatur a diis intus in terra (communi omnium matre) e terra et igne, mixtis quoque iis quae terrae et igni miscentur. Quum autem animalium genera variis corporis facultatibus valeant, homini tribuitur *ἡ ἔντεχνος σοφία σὺν πυρὶ* (Prot. 321 C) sive *ἡ ἔμπυρος τέχνη, ἡ τοῦ Ἡφαίστου καὶ ἡ ἄλλη ἡ τῆς Ἀθηνᾶς* (Ib. E), i. e. ea ingenii facultas qua singuli homines suis commodis prospiciunt, estque ea partim Vulcani, instrumenta ad corpus nutriendum et conservandum necessaria componens, partim Minervae, ad ingenii cultum promovendum apta; hinc universe oritur *εὐπορία τοῦ βίου*.

Iam videamus quaenam sint variae facultates ex hac *ἐντέχνῳ σοφίᾳ* ortae (322 A):

1°. Homo vocem et nomina articulatim distinxit; unde origo linguarum.

2°. Habitationes invenit; hinc origo architecturae.

3°. Vestes et calceos et stragula confecit.

4°. E terra alimenta sibi procuravit; unde origo agriculturae.

5°. Imo altius escendit; nam quum hanc ingenii facultatem divinitus accepisset, solus homo, propter hanc cognationem cum diis, existimavit deos esse, aras statuasque diis ponere instituit, quae sunt initia studii rerum divinarum.

Sed initia tantum; nam homo hac conditione nondum de diis philosophatur, sed aras et statuas ponit; est igitur ipsius artis facultas (*kunstzin*) quae hoc modo sese manifestet.

Haec omnia quidem sunt divinitus accepta, sed sunt tantummodo facultates, quas ipse homo, necessitate coactus amplius excolere debet ut inde usum habeat.

Haec omnia in primis docendo ab aliis ulterius excoli posse sponte patet, nam, ut Protagoras ipse dicere solebat, *φύσεως καὶ ἀσκήσεως διδασκαλία δεῖται, καὶ ἀπὸ νεότητος δὲ ἀρξαμένους δεῖν μανθάνειν* (1), sive: *μηδέν ἐστι μήτε τέχνη ἄνευ μελέτης μήτε μελέτη ἄνευ τέχνης* (2). Protagoras totam hanc disciplinam complectebatur nomine ***artis oeconomicae*** (Prot. 318 E, Rep. X, 600 C. (3). Quae est *εὐβουλία περὶ τῶν οἰκείων*.

---

(1) Vid. *Cramer Anecdot. Paris.* tom. 1, p. 171.

(2) Vid. *Stob. de Assidu. Serm.* XXIX, p. 206, ed. *Aurel. Allobrog.* 1609; *S. Maximus* ed. Combesis II, 587; *Beynen, sententiae selectae Democriti, etc.* Lugd. Bat. 1837, p. 36.

(3) Locum *Prot.* iam supra p. 121 exscripsimus; alter *Reip.* hic est: *ἀλλὰ Πρωταγόρας μὲν ἄρα ὁ Ἀβδηρίτης καὶ Πρόδικος ὁ Κεῖος καὶ ἄλλοι πάμπολλοι δύνανται τοῖς ἐφ' ἑαυτῶν παριστάναι, ἰδίᾳ ξυγγιγνόμενοι, ὡς οὔτε πόλιν τὴν αὑτῶν διοικεῖν οἷοί τ' ἔσονται, ἐὰν μὴ σφεῖς αὐτῶν ἐπιστατήσωσι τῆς παιδείας, καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ σοφίᾳ οὕτω σφόδρα φιλοῦνται, ὥστε μόνον οὐκ ἐπὶ ταῖς κεφαλαῖς περιφέρουσιν αὐτοὺς οἱ ἑταῖροι.*

De hac parte disciplinae Protagoreae pauca nota sunt. Exiguum autem huius rei documentum datur in Prot. p. 334 A., ubi sophista a Socrate rogatus, an omnia utilia etiam bona sint, ita respondens inducitur: Οὐδαμῶς, ἔφη· ἀλλ' ἔγωγε πολλὰ οἶδ', ἃ ἀνθρώποις μὲν ἀνωφελῆ ἐστι, καὶ σιτία καὶ ποτὰ καὶ φάρμακα καὶ ἄλλα μυρία, τὰ δέ γε ὠφέλιμα· τὰ δὲ ἀνθρώποις μὲν ουδέτερα, ἵπποις δέ· τὰ δὲ βουσὶ μόνον, τὰ δὲ κυσί, τὰ δέ γε τούτων μὲν ουδενί, δένδροις δέ· τὰ δὲ τοῦ δένδρου ταῖς μὲν ῥίζαις ἀγαθά, ταῖς δὲ βλάσταις πονηρά, οἷον καὶ ἡ κόπρος πάντων τῶν φυτῶν ταῖς μὲν ῥίζαις ἀγαθὸν παραβαλλομένη, εἰ δ' ἐθέλοις ἐπὶ τοὺς πτόρθους καὶ τοὺς νέους κλῶνας ἐπιβάλλειν, πάντα ἀπόλλυσιν· ἐπεὶ καὶ τὸ ἔλαιον τοῖς μὲν φυτοῖς ἅπασίν ἐστι πάγκακον καὶ ταῖς θριξὶ πολεμιώτατον ταῖς τῶν ἄλλων ζώων πλὴν ταῖς τοῦ ἀνθρώπου, ταῖς δὲ τοῦ ἀνθρώπου ἀρωγὸν καὶ τῷ ἄλλῳ σώματι. οὕτω δὲ ποικίλον τί ἐστι τὸ ἀγαθὸν καὶ παντοδαπόν, ὥςτε καὶ ἐνταῦθα τοῖς μὲν ἔξωθεν τοῦ σώματος ἀγαθόν ἐστι τῷ ἀνθρώπῳ, τοῖς δ' ἐντὸς ταὐτὸν τοῦτο κάκιστον. καὶ διὰ τοῦτο οἱ ἰατροὶ πάντες ἀπαγορεύουσι τοῖς ἀσθενοῦσι μὴ χρῆσθαι ἐλαίῳ, ἀλλ' ἢ ὅ τι σμικροτάτῳ ἐν τούτοις οἷς μέλλει ἔδεσθαι, ὅσον μόνον τὴν δυςχέρειαν κατασβέσαι τὴν ἐπὶ ταῖς αἰσθήσεσι ταῖς διὰ τῶν ῥινῶν γιγνομένην ἐν τοῖς σιτίοις τε καὶ ὄψοις.

Ipsa amplitudo huius responsi ostendit Protagoram multum in eiusmodi rebus, vitae communis usum spectantibus, versatum esse, et quum ars oeconomica

tendat ad prospiciendum iis quae singulis hominibus prosint, suspicor Platonem lectoribus suis specimen dare voluisse artis illius, cuius doctorem in exordio dialogi sophista sese professus erat.

CAPUT II.

De societate humana.

Iam progrediamur ad alteram fabulae partem.

Homo his artibus instructus commodum suum solummodo spectabat, ab aliis hominibus autem remotus vivebat. A beluis dilaniatus (322 B), sese cum aliis coniungere, et urbes condere conabatur quidem, at res successu carebat; nam quum omnes turpissimo sui studio abriperentur, hae societates durare non poterant, nullo vinculo inter sese coniuncti homines ipsi inter sese saeviebant. Tum Iupiter miserrima eorum sorte commotus, novam iis dat artem, *τὴν τέχνην πολιτικήν*. Huius artis elementa sunt *αἰδῶς* et *δίκη*, verecundia et iustitia, quae vocantur (p. 322 C), *πόλεων κόσμοι τε καὶ δεσμοὶ φιλίας συναγωγοί*. Et merito, nam nisi in civitate adest verecundia liberorum erga parentes, iuniorum erga seniores, civium erga magistratus, discipulorum erga magistros, uniuscuiusque erga se ipsum, omnis ordo perturbatur, nisi adest iustitia qua uniuscuiusque munera et offi-

cia circumscribuntur, qua unusquisque suum agit, nullum est vinculum inter cives. Civitas hac arte politica coniuncta est fortis contra inimicos, ita ut ars *πολεμική* (322 B) merito pars eius dici queat. Totius autem artis politicae praecipua pars est iustitia, quippe iam quodammodo verecundiam continens; hinc saepe legimus: *ἡ δικαιοσύνη καὶ ἡ ἄλλη ἀρετὴ πολιτική*. (Vid. p. 323 B, ib. C).

Fabulam et proxime sequentia legenti iam statim in oculos incurrit usus promiscuus vocabulorum *τέχνη* et *ἀρετή*· Vid. e. g. p. 322 B, ubi bis dicitur *πολιτικὴ τέχνη*, — p. 322 D *αἰδῶς* et *δίκη* sunt *τέχναι*, — contra p. 322 D Protagoras loquitur de *ἀρετῇ τεκτονικῇ*, *ἀρετῃ δημιουργικῇ*, p. 323 A *αὔλησις* est *ἀρετή*.

Haec omnia requirere videntur ut paulo fusius hac de re disputemus. In introductione ad hanc sectionem iam monuimus, ethicam alienam esse a Protagorae philosophia, quid sit virtus, quid vitium, ab uniuscuiusque opinione, aut a iudicio civitatis pendere (vid. p. 77): et e natura totius philosophiae Protagoreae et ex usu promiscuo vocabulorum illorum, me iudice, satis tuto concludere licet, *ἀρετήν* hic non intelligendam esse eo sensu, quo vulgo intelligitur, sed nihil amplius significare quam facultatis alicuius homini innatae iam aliquantum excultae manifestationem. Et revera, quia utile tantum a Protagora spectatur, *ἀρετή* non potest habere aliam

vim quam ***praestantiae*** quod attinet ad *εὐβουλίαν* illam, de qua vid. p. 78 sq. Hinc facile explicatur usus ille promiscuus vocabulorum *ἀρετή* et *τέχνη*.

Virtus, si hoc sensu accipitur, merito a Protagora censebatur doceri posse. De *σοφίᾳ ἐντέχνῳ* hoc sponte liquet, de arte politica nos docet sophista in *λόγῳ*, quem *μύθῳ* peracto inde a p. 322 D instituit.

Protagorae apud Platonem Λόγος.

Οὕτω δή, ὦ Σώκρατες, καὶ διὰ ταῦτα οἵ τε ἄλλοι καὶ οἱ Ἀθηναῖοι, ὅταν μὲν περὶ ἀρετῆς τεκτονικῆς ᾖ λόγος ἢ ἄλλης τινὸς δημιουργικῆς, ὀλίγοις οἴονται μετεῖναι συμβουλῆς, καὶ ἐάν τις ἐκτὸς ὢν τῶν ὀλίγων συμβουλεύῃ, οὐκ ἀνέχονται, ὡς σὺ φῄς· εἰκότως, ὡς ἐγώ φημι· ὅταν δέ εἰς συμβουλὴν πολιτικῆς ἀρετῆς ἴωσιν, ἣν δεῖ διὰ δικαιοσύνης πᾶσαν ἰέναι καὶ σωφροσύνης, εἰκότως ἅπαντος ἀνδρὸς ἀνέχονται, ὡς παντὶ προσῆκον ταύτης γε μετέχειν τῆς ἀρετῆς, ἢ μὴ εἶναι πόλεις. αὕτη, ὦ Σώκρατες, τούτου αἰτία.

Ἵνα δὲ μὴ οἴῃ ἀπατᾶσθαι, ὡς τῷ ὄντι ἡγοῦνται πάντες ἄνθρωποι πάντα ἄνδρα μετέχειν δικαιοσύνης τε καὶ τῆς ἄλλης πολιτικῆς ἀρετῆς, τόδε αὖ λάβε τεκμήριον. Ἐν γὰρ ταῖς ἄλλαις ἀρεταῖς, ὥςπερ σὺ λέγεις, ἐάν τις φῇ ἀγαθὸς αὐλητὴς εἶναι, ἢ ἄλλην ἡντινοῦν τέχνην, ἣν μή ἐστιν, ἢ καταγελῶσιν ἢ χα-

λεπαίνουσι, καὶ οἱ οἰκεῖοι προςιόντες νουτεθοῦσιν ὡς μαινόμενον· ἐν δὲ δικαιοσύνῃ καὶ ἐν τῇ ἄλλῃ πολιτικῇ ἀρετῇ, ἐάν τινα καὶ εἰδῶσιν ὅτι ἄδικός ἐστιν, ἐὰν οὗτος αὐτὸς καθ' αὑτοῦ τἀληθῆ λέγῃ ἐναντίον πολλῶν, ὃ ἐκεῖ σωφροσύνην ἡγοῦντο εἶναι, τἀληθῆ λέγειν, ἐνταῦθα μανίαν, καί φασι πάντας δεῖν φάναι εἶναι δικαίους, ἐάν τε ὦσιν, ἐάν τε μή, ἢ μαίνεσθαι τὸν μὴ προςποιούμενον δικαιοσύνην· ὡς ἀναγκαῖον οὐδένα ὅντιν' οὐχὶ ἀμωςγέπως μετέχειν αὐτῆς, ἢ μὴ εἶναι ἐν ἀνθρώποις.

Ὅτι μὲν οὖν πάντ' ἄνδρα εἰκότως ἀποδέχονται περὶ ταύτης τῆς ἀρετῆς σύμβουλον, διὰ τὸ ἡγεῖσθαι παντὶ μετεῖναι αὐτῆς, ταῦτα λέγω. Ὅτι δὲ αὐτὴν οὐ φύσει ἡγοῦνται εἶναι, οὐδ' ἀπὸ τοῦ αὐτομάτου, ἀλλὰ διδακτόν τε καὶ ἐξ ἐπιμελείας παραγίγνεσθαι ᾧ ἂν παραγίγνηται, τοῦτό σοι μετὰ τοῦτο πειράσομαι ἀποδεῖξαι. ὅσα γὰρ ἡγοῦνται ἀλλήλους κακὰ ἔχειν ἄνθρωποι φύσει ἢ τύχῃ, οὐδεὶς θυμοῦται, οὐδὲ νουθετεῖ, οὐδὲ διδάσκει, οὐδὲ κολάζει τοὺς ταῦτα ἔχοντας, ἵνα μὴ τοιοῦτοι ὦσιν, ἀλλ' ἐλεοῦσιν. οἷον, τοὺς αἰσχροὺς ἢ σμικροὺς ἢ ἀσθενεῖς τίς οὕτως ἀνόητος ὥςτε τι τούτων ἐπιχειρεῖν ποιεῖν; ταῦτα μὲν γὰρ ἴσασιν, οἶμαι, ὅτι φύσει τε καὶ τύχῃ τοῖς ἀνθρώποις γίγνεται, τὰ καλὰ καὶ τἀναντία τούτοις· ὅσα δὲ ἐξ ἐπιμελείας καὶ ἀσκήσεως καὶ διδαχῆς οἴονται γίγνεσθαι ἀγαθὰ ἀνθρώποις, ἐάν τις ταῦτα μὴ ἔχῃ, ἀλλὰ τἀναντία τούτων κακά, ἐπὶ τούτοις που οἵ τε θυμοὶ γίγνονται καὶ αἱ κολάσεις καὶ αἱ νουθετήσεις· ὧν ἐστιν ἓν καὶ ἡ ἀδικία, καὶ ἡ ἀσέβεια, καὶ συλλήβδην πᾶν τὸ ἐναντίον τῆς πολιτικῆς ἀρετῆς.

Ἔνθα δὴ πᾶς παντὶ θυμοῦται καὶ νουθετεῖ, δῆλον ὅτι ὡς ἐξ ἐπιμελείας καὶ μαθήσεως κτητῆς οὔσης· εἰ γὰρ ἐθέλεις ἐννοῆσαι τὸ κολάζειν, ὦ Σώκρατες, τοὺς ἀδικοῦντας τί ποτε δύναται, αὐτό σε διδάξει, ὅτι οἵ γε ἄνθρωποι ἡγοῦνται παρασκευαστὸν εἶναι ἀρετήν. οὐδεὶς γὰρ κολάζει τοὺς ἀδικοῦντας, πρὸς τούτῳ τὸν νοῦν ἔχων καὶ τούτου ἕνεκα, ὅτι ἠδίκησεν, ὅςτις μὴ ὥςπερ θηρίον ἀλογίστως τιμωρεῖται· ὁ δὲ μετὰ λόγου ἐπιχειρῶν κολάζειν, οὐ τοῦ παρεληλυθότος ἕνεκα ἀδικήματος τιμωρεῖται (οὐ γὰρ ἂν τό γε πραχθὲν ἀγένητον θείη), ἀλλὰ τοῦ μέλλοντος χάριν, ἵνα μὴ αὖθις ἀδικήσῃ μήτε αὐτὸς οὗτος μήτε ἄλλος ὁ τοῦτον ἰδὼν κολασθέντα· καὶ τοιαύτην διάνοιαν ἔχων διανοεῖται παιδευτὴν εἶναι ἀρετήν· ἀποτροπῆς γοῦν ἕνεκα κολάζει.

Ταύτην οὖν τὴν δόξαν πάντες ἔχουσιν ὅσοιπερ τιμωροῦνται καὶ ἰδίᾳ καὶ δημοσίᾳ. τιμωροῦνται δὲ καὶ κολάζονται οἵ τε ἄλλοι ἄνθρωποι οὓς ἂν οἴωνται ἀδικεῖν, καὶ οὐχ ἥκιστα Ἀθηναῖοι, οἱ σοὶ πολῖται· ὥςτε κατὰ τοῦτον τὸν λόγον καὶ Ἀθηναῖοί εἰσι τῶν ἡγουμένων παρασκευαστὸν εἶναι καὶ διδακτὸν ἀρετήν. ὡς μὲν οὖν εἰκότως ἀποδέχονται οἱ σοὶ πολῖται καὶ χαλκέως καὶ σκυτοτόμου συμβουλεύοντος τὰ πολιτικά, καὶ ὅτι διδακτὸν καὶ παρασκευαστὸν ἡγοῦνται ἀρετήν, ἀποδέδεικταί σοι, ὦ Σώκρατες, ἱκανῶς, ὥς γ' ἐμοὶ φαίνεται.

Ἔτι δὴ λοιπὴ ἀπορία ἐστίν, ἣν ἀπορεῖς, περὶ τῶν ἀνδρῶν τῶν ἀγαθῶν, τί δήποτε οἱ ἄνδρες οἱ ἀγαθοὶ τὰ μὲν ἄλλα τοὺς αὑτῶν υἱεῖς διδάσκουσιν ἃ διδασκάλων ἔχεται, καὶ σοφοὺς ποιοῦσιν, ἣν δὲ αὐτοὶ ἀρετὴν ἀγαθοί, οὐδενὸς βελτίους ποιοῦσι. τούτου δὴ πέρι, ὦ Σώκρατες, οὐκέτι μῦθόν σοι ἐρῶ, ἀλλὰ λόγον. ὧδε γὰρ ἐννόησον· πότερον ἔστι τι ἓν ἢ οὐκ ἔστιν, οὗ ἀναγκαῖον πάντας τοὺς πολίτας μετέχειν, εἴπερ μέλλει πόλις εἶναι; ἐν τούτῳ γὰρ αὕτη λύεται ἡ ἀπορία ἣν σὺ ἀπορεῖς, ἢ ἄλλοθι οὐδαμοῦ. εἰ μὲν γὰρ ἔστι, καὶ τοῦτό ἐστι τὸ ἕν, οὐ τεκτονικὴ οὐδὲ χαλκεία οὐδὲ κεραμεία, ἀλλὰ δικαιοσύνη καὶ σωφροσύνη καὶ τὸ ὅσιον εἶναι, καὶ συλλήβδην ἓν αὐτὸ προςαγορεύω εἶναι ἀνδρὸς ἀρετήν· εἰ τοῦτ' ἐστὶν οὗ δεῖ πάντας μετέχειν καὶ μετὰ τούτου πάντ' ἄνδρα, ἐάν τι καὶ ἄλλο βούληται μανθάνειν ἢ πράττειν, οὕτω πράττειν, ἄνευ δὲ τούτου μή, ἢ τὸν μὴ μετέχοντα καὶ διδάσκειν καὶ κολάζειν, καὶ παῖδα καὶ ἄνδρα καὶ γυναῖκα, ἕωςπερ ἂν κολαζόμενος βελτίων γένηται, ὃς δ' ἂν μὴ ὑπακούῃ κολαζόμενος καὶ διδασκόμενος, ὡς ἀνίατον ὄντα τοῦτον ἐκβάλλειν ἐκ τῶν πόλεων ἢ ἀποκτείνειν· εἰ οὕτω μὲν ἔχει, οὕτω δ' αὐτοῦ πεφυκότος, οἱ ἀγαθοὶ ἄνδρες εἰ τὰ μὲν ἄλλα διδάσκονται τοὺς υἱεῖς, τοῦτο δὲ μή, σκέψαι ὡς θαυμασίως γίγνονται οἱ ἀγαθοί.

Ὅτι μὲν γὰρ διδακτὸν αὐτὸ ἡγοῦνται καὶ ἰδίᾳ καὶ δημοσίᾳ, ἀπεδείξαμεν· διδακτοῦ δὲ ὄντος καὶ θεραπευτοῦ, τὰ μὲν ἄλλα ἄρα τοὺς υἱεῖς διδάσκονται, ἐφ' οἷς οὐκ ἔστι θάνατος ἡ ζημία, ἐὰν μὴ ἐπίστωνται· ἐφ'

ᾧ δὲ ἥ τε ζημία θάνατος αὐτῶν τοῖς παισὶ καὶ φυγαί μὴ μαθοῦσι μηδὲ θεραπευθεῖσιν εἰς ἀρετήν, καὶ πρὸς τῷ θανάτῳ χρημάτων τε δημεύσεις, καί, ὡς ἔπος εἰπεῖν, συλλήβδην τῶν οἴκων ἀνατροπαί, ταῦτα δ' ἄρα οὐ διδάσκονται οὐδ' ἐπιμελοῦνται πᾶσαν ἐπιμέλειαν; οἴεσθαί γε χρή, ὦ Σώκρατες.

Ἐκ παίδων σμικρῶν ἀρξάμενοι, μέχρι οὗπερ ἂν ζῶσι, καὶ διδάσκουσι καὶ νουθετοῦσιν· ἐπειδὰν θᾶττον συνίῃ τις τὰ λεγόμενα, καὶ τροφὸς καὶ μήτηρ καὶ παιδαγωγὸς καὶ αὐτὸς ὁ πατὴρ περὶ τούτου διαμάχονται, ὅπως ὡς βέλτιστος ἔσται ὁ παῖς, παρ' ἕκαστον καὶ ἔργον καὶ λόγον διδάσκοντες καὶ ἐνδεικνύμενοι ὅτι τὸ μὲν δίκαιον, τὸ δὲ ἄδικον, καὶ τόδε μὲν καλόν, τόδε δὲ αἰσχρόν, καὶ τόδε μὲν ὅσιον, τόδε δὲ ἀνόσιον, καί, τάδε μὲν ποίει, τάδε δὲ μὴ ποίει. καὶ ἐὰν μὲν ἑκὼν πείθηται· εἰ δὲ μή, ὥςπερ ξύλον διαστρεφόμενον καὶ καμπτόμενον, εὐθύνουσιν ἀπειλαῖς καὶ πληγαῖς.

Μετὰ δὲ ταῦτα εἰς διδασκάλων πέμποντες, πολὺ μᾶλλον ἐντέλλονται ἐπιμελεῖσθαι εὐκοσμίας τῶν παίδων ἢ γραμμάτων τε καὶ κιθαρίσεως· οἱ δὲ διδάσκαλοι τούτων τε ἐπιμελοῦνται, καὶ ἐπειδὰν αὖ γράμματα μάθωσι, καὶ μέλλωσι συνήσειν τὰ γεγραμμένα, ὥςπερ τότε τὴν φωνήν, παρατιθέασιν αὐτοῖς ἐπὶ τῶν βάθρων ἀναγιγνώσκειν ποιητῶν ἀγαθῶν ποιήματα, καὶ ἐκμανθάνειν ἀναγκάζουσιν, ἐν οἷς πολλαὶ μὲν νουθετήσεις ἔνεισι, πολλαὶ δὲ διέξοδοι καὶ ἔπαινοι, καὶ ἐγκώμια παλαιῶν ἀνδρῶν ἀγαθῶν, ἵνα ὁ παῖς ζηλῶν μιμῆται καὶ ὀρέγηται τοιοῦτος γενέσθαι. οἵ τ' αὖ κιθαρισταί,

ἕτερα τοιαῦτα, σωφροσύνης τε ἐπιμελοῦνται καὶ ὅπως ἂν οἱ νέοι μηδὲν κακουργῶσι· πρὸς δὲ τούτοις, ἐπειδὰν κιθαρίζειν μάθωσιν, ἄλλων αὖ ποιητῶν ἀγαθῶν ποιήματα διδάσκουσι μελοποιῶν, εἰς τὰ κιθαρίσματα ἐντείνοντες, καὶ τοὺς ῥυθμούς τε καὶ τὰς ἁρμονίας ἀναγκάζουσιν οἰκειοῦσθαι ταῖς ψυχαῖς τῶν παίδων, ἵνα ἡμερώτεροί τε ὦσι καὶ εὐρυθμότεροι καὶ εὐαρμοστότεροι γιγνόμενοι, χρήσιμοι ὦσιν εἰς τὸ λέγειν τε καὶ πράττειν. πᾶς γὰρ ὁ βίος τοῦ ἀνθρώπου εὐρυθμίας τε καὶ εὐαρμοστίας δεῖται.

Ἔτι τοίνυν πρὸς τούτοις εἰς παιδοτρίβου πέμπουσιν, ἵνα τὰ σώματα βελτίω ἔχοντες ὑπηρετῶσι τῇ διανοίᾳ χρηστῇ οὔσῃ, καὶ μὴ ἀναγκάζωνται ἀποδειλιᾶν διὰ τὴν πονηρίαν τῶν σωμάτων καὶ ἐν τοῖς πολέμοις καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις πράξεσι. καὶ ταῦτα ποιοῦσιν οἱ μάλιστα δυνάμενοι. μάλιστα δὲ δύνανται οἱ πλουσιώτατοι. καὶ οἱ τούτων υἱεῖς, πρωϊαίτατα εἰς διδασκάλων τῆς ἡλικίας ἀρξάμενοι φοιτᾶν, ὀψιαίτατα ἀπαλλάττονται. ἐπειδὰν δὲ ἐκ διδασκάλων ἀπαλλαγῶσιν, ἡ πόλις αὖ τούς τε νόμους ἀναγκάζει μανθάνειν καὶ κατὰ τούτους ζῆν κατὰ παράδειγμα, ἵνα μὴ αὐτοὶ ἐφ' αὑτῶν εἰκῇ πράττωσιν, ἀλλ' ἀτεχνῶς, ὥςπερ οἱ γραμματισταὶ τοῖς μήπω δεινοῖς γράφειν τῶν παίδων, ὑπογράψαντες γραμμὰς τῇ γραφίδι, οὕτω τὸ γραμματεῖον διδόασι, καὶ ἀναγκάζουσι γράφειν κατὰ τὴν ὑφήγησιν τῶν γραμμῶν, ὣς δὲ καὶ ἡ πόλις νόμους ὑπογράψασα, ἀγαθῶν καὶ παλαιῶν νομοθετῶν εὑρήματα, κατὰ τούτους ἀναγκάζει καὶ ἄρχειν καὶ ἄρχεσθαι, ὃς δ' ἂν ἐκτὸς βαίνῃ τούτων, κολάζει· καὶ ὄνομα τῇ κολάσει ταύτῃ καὶ παρ' ὑμῖν καὶ ἄλλοθι πολλαχοῦ, ὡς εὐθυνούσης τῆς δίκης, εὐθῦναι.

Τοσαύτης οὖν τῆς ἐπιμελείας οὔσης περὶ ἀρετῆς ἰδίᾳ καὶ δημοσίᾳ, θαυμάζεις, ὦ Σώκρατες, καὶ ἀπορεῖς εἰ διδακτόν ἐστιν ἀρετή; ἀλλ' οὐ χρὴ θαυμάζειν, ἀλλὰ πολὺ μᾶλλον, εἰ μὴ διδακτόν. Διὰ τί οὖν τῶν ἀγαθῶν πατέρων πολλοὶ υἱεῖς φαῦλοι γίγνονται; τοῦτο αὖ μάθε. οὐδὲν γὰρ θαυμαστόν, εἴπερ ἀληθῆ ἐγὼ ἐν τοῖς ἔμπροσθεν ἔλεγον, ὅτι τούτου τοῦ πράγματος, τῆς ἀρετῆς, εἰ μέλλει πόλις εἶναι, οὐδένα δεῖ ἰδιωτεύειν. εἰ γὰρ δὴ ὃ λέγω οὕτως ἔχει (ἔχει δὲ μάλιστα πάντων οὕτως), ἐνθυμήθητι, ἄλλο τῶν ἐπιτηδευμάτων ὁτιοῦν καὶ μαθημάτων προελόμενος.

Εἰ μὴ οἷόν τ' ἦν πόλιν εἶναι, εἰ μὴ πάντες αὐληταὶ ἦμεν, ὁποῖός τις ἐδύνατο ἕκαστος, καὶ τοῦτο καὶ ἰδίᾳ καὶ δημοσίᾳ πᾶς πάντα καὶ ἐδίδασκε καὶ ἐπέπληττε τὸν μὴ καλῶς αὐλοῦντα, καὶ μὴ ἐφθόνει τούτου, ὥςπερ νῦν τῶν δικαίων καὶ τῶν νομίμων οὐδεὶς φθονεῖ οὐδ' ἀποκρύπτεται ὥςπερ τῶν ἄλλων τεχνημάτων — λυσιτελεῖ γάρ, οἶμαι, ἡμῖν ἡ ἀλλήλων δικαιοσύνη καὶ ἀρετή· διὰ ταῦτα πᾶς παντὶ προθύμως λέγει καὶ διδάσκει καὶ τὰ δίκαια καὶ τὰ νόμιμα — εἰ οὖν οὕτω καὶ ἐν αὐλήσει πᾶσαν προθυμίαν καὶ ἀφθονίαν εἴχομεν ἀλλήλους διδάσκειν, οἴει ἄν τι, ἔφη, μᾶλλον, ὦ Σώκρατες, τῶν ἀγαθῶν αὐλητῶν ἀγαθοὺς αὐλητὰς τοὺς υἱεῖς γίγνεσθαι, ἢ τῶν φαύλων; οἶμαι μὲν οὔ, ἀλλὰ ὅτου ἔτυχεν ὁ υἱὸς εὐφυέστατος γενόμενος εἰς αὔλη-

σιν, οὗτος ἂν ἐλλόγιμος ηὐξήθη, ὅτου δὲ ἀφυής, ἀκλεής· καὶ πολλάκις μὲν ἀγαθοῦ αὐλητοῦ φαῦλος ἂν ἀπέβη, πολλάκις δ' ἂν φαύλου ἀγαθός. ἀλλ' οὖν αὐληταὶ γοῦν πάντες ἦσαν ἱκανοί, ὡς πρὸς τοὺς ἰδιώτας καὶ μηδέν αὐλήσεως ἐπαΐοντας. οὕτως οἴου καὶ νῦν, ὅςτις σοι ἀδικώτατος φαίνεται ἄνθρωπος τῶν ἐν νόμοις καὶ ἀνθρώποις τεθραμμένων, δίκαιον αὐτὸν εἶναι καὶ δημιουργὸν τούτου τοῦ πράγματος, εἰ δέοι αὐτὸν κρίνεσθαι πρὸς ἀνθρώπους, οἷς μήτε παιδεία ἐστί, μήτε δικαστήρια, μήτε νόμοι, μηδὲ ἀνάγκη μηδεμία, διὰ παντὸς ἀναγκάζουσα ἀρετῆς ἐπιμελεῖσθαι, ἀλλ' εἶεν ἄγριοί τινες, οἷοίπερ οὓς πέρυσι Φερεκράτης ὁ ποιητὴς ἐδίδαξεν ἐπὶ Ληναίῳ. ἦ σφόδρα ἐν τοῖς τοιούτοις ἀνθρώποις γενόμενος, ὥςπερ οἱ ἐν ἐκείνῳ τῷ χορῷ μισάνθρωποι, ἀγαπήσαις ἂν, εἰ ἐντύχοις Εὐρυβάτῳ καὶ Φρυνώνδᾳ, καὶ ἀνολοφύραι' ἂν ποθῶν τὴν τῶν ἐνθάδε ἀνθρώπων πονηρίαν· νῦν δὲ τρυφᾷς, ὦ Σώκρατες, διότι πάντες διδάσκαλοί εἰσιν ἀρετῆς, καθ' ὅσον δύνανται ἕκαστος, καὶ οὐδείς σοι φαίνεται· εἶθ' ὥςπερ ἂν εἰ ζητοῖς τίς διδάσκαλος τοῦ ἑλληνίζειν, οὐδ' ἂν εἷς φανείη, οὐδέ γ' ἄν, οἶμαι, εἰ ζητοῖς τίς ἂν ἡμῖν διδάξειε τοὺς τῶν χειροτεχνῶν υἱεῖς αὐτὴν ταύτην τὴν τέχνην, ἣν δὴ παρὰ τοῦ πατρὸς μεμαθήκασι, καθ' ὅσον οἷός τ' ἦν ὁ πατὴρ καὶ οἱ τοῦ πατρὸς φίλοι ὄντες ὁμότεχνοι, τούτους ἔτι τίς ἂν διδάξειεν, οὐ ῥᾴδιον οἶμαι εἶναι, ὦ Σώκρατες, τούτων διδάσκαλον φανῆναι· τῶν δέ ἀπείρων παντάπασι ῥᾴδιον, οὕτω δὲ ἀρετῆς καὶ τῶν ἄλλων πάντων.

ἀλλὰ κἂν εἰ ὀλίγον ἐστί τις ὅςτις διαφέρει ἡμῶν προβιβέσαι εἰς ἀρετήν, ἀγαπητόν. ὧν δὴ ἐγὼ οἶμαι εἷς εἶναι, καὶ διαφερόντως ἂν τῶν ἄλλων ἀνθρώπων νοῆσαί τινα πρὸς τὸ καλὸν καὶ ἀγαθὸν γενέσθαι, καὶ ἀξίως τοῦ μισθοῦ ὃν πράττομαι, καὶ ἔτι πλείονος, ὥςτε καὶ αὐτῷ δοκεῖν τῷ μαθόντι. διὰ ταῦτα καὶ τὸν τρόπον τῆς πράξεως τοῦ μισθοῦ τοιοῦτον πεποίημαι. ἐπειδὰν γάρ τις παρ' ἐμοῦ μάθῃ, ἐὰν μὲν βούληται, ἀποδέδωκεν ὃ ἐγὼ πράττομαι ἀργύριον· ἐὰν δὲ μή, ἐλθὼν εἰς ἱερόν, ὀμόσας, ὅσου ἂν φῇ ἄξια εἶναι τὰ μαθήματα, τοσοῦτον κατέθηκε.

Τοιοῦτόν σοι, ἔφη, ὦ Σώκρατες, ἐγὼ καὶ μῦθον καὶ λόγον εἴρηκα, ὡς διδακτὸν ἀρετὴ καὶ Ἀθηναῖοι οὕτως ἡγοῦνται, καὶ ὅτι οὐδὲν θαυμαστὸν τῶν ἀγαθῶν πατέρων φαύλους υἱεῖς γίγνεσθαι, καὶ τῶν φαύλων ἀγαθούς, ἐπεὶ καὶ οἱ Πολυκλείτου υἱεῖς, Παράλου καὶ Ξανθίππου τοῦδε ἡλικιῶται, οὐδὲν πρὸς τὸν πατέρα εἰσί, καὶ ἄλλοι ἄλλων δημιουργῶν. τῶνδε δὲ οὔπω ἄξιον τοῦτο κατηγορεῖν· ἔτι γὰρ ἐν αὐτοῖς εἰσιν ἐλπίδες· νέοι γάρ.

De genere scribendi in hac oratione conspicua in sectione tertia agemus; nunc breviter exponemus de rebus quae in ea continentur. Primo attendendum est ad diversam rationem, qua facultas artis oeconomicae et facultas artis politicae distributae sunt. Illa, tamquam facultas, omnibus quidem hominibus est innata, sed variae artes, quae ex ea originem suam petunt, non omnibus communes

sunt, neque opus est ut singuli omnes has artes exerceant. At facultas artis politicae ita homini est data, ut tota illa in singulis hominibus excoli debeat (322 C sup. p. 124). Hoc quoque patet e communi hominum opinione; nam si quis profitetur se esse bonum tibicinem, postea vero apparet huius artis imperitum esse, omnes eum irrident, et furiosum nuncupant. Si contra aliquis audet profiteri se iustitià carere, statim illud, quod ibi putabant bonum esse, nimirum id quod verum est dicere, stultitiam vocant. Non enim opus est ut omnes homines sint boni tibicines, sed omnino ut omnes iusti sint, vel saltem videantur. Quicumque hac arte politica caret, ne hominibus quidem accenseri potest (p. 323 E sqq. sup. p. 133).

Veruntamen, quamquam facultas omnibus insit, tamen opus est ut instiutione rite excolatur; et eam revera doceri posse optime quoque patet ex communi hominum persuasione. Quaecumque vitia aliquis naturâ aut casu habet, non aegre ferunt alii, sed miserentur, e. g. si quis est difformis, aut parvus, aut infirmus; — sed si aliquis ea non habet quae disciplina aut exercitatione sibi comparare potuerat, eiusmodi hominem puniunt caeteri, quod fieri solet, si aliquis est iniustus, impius vel universe a virtute politica alienus (323 C sqq. sup. p. 134). Hinc patet eam doceri posse; nam poena non infligitur ut factum fiat infectum, sed ne quis in futurum iterum peccet

(324 A sqq. sup. p. 135). Castigatio est modo εὐθύνη, ὡς εὐθυνούσης τῆς δικῆς (p. 326 D. sup. p. 139). In qua expositione rationis poenae infligendae revera non satis celebrari potest practica ratio philosophiae Protagoreae.

Artem politicam in civitate bene constituta revera doceri videmus in vita communi Atheniensium (p. 325 C sqq. sup. p. 137 sqq.). Pater et mater, nutrix et paedagogus, iam curant ut puer bene moratus evadat, ut bona a malis discernat; deinde mittitur in scholas grammatistarum et citharistarum, ubi, simulac scripta intelligere potest, legit bonos poëtas, quibus excitatur amor antiquorum virorum bonorum et studium eos imitandi; musica etiam excolitur, qua harmonia in ipsius animo oritur; palaestrae magistrum adit ut corporis cultus aequabiliter cum animi cultu procedat. Tandem civitatis iussu cogitur leges ediscere et secundum has vitam degere.

Hanc educationem liberorum apud Athenienses Protagoras videtur probasse. Nec mirum; nam eorum consilium cum eius consilio in eo conveniebat, quod in primis vitam socialem excitare studebat.

Et leges quamquam ex arbitrio civitatis institutae, nec per se ullum pretium habentes (Theaet. 172 A, vid. sup. p. 120), tamen sunt observandae, partim quia firmissimum constituunt civitatis vinculum, partim quia sunt inventae a legislatoribus antiquis, viris bonis qui caeteris melius τὸ συμφέρον prospicere poterant. (Prot. 326 D sup. p. 138).

Porro iam e dictis patet, artem politicam quoque doceri debere, quum ad civitatem conservandam, tum quia ii qui hanc non didicerunt, puniuntur capite, exsilio, bonorum publicatione, verbo domùs eversione (325 B sup. p. 137).

Hinc in civitate bene constituta omnes cives quantum possunt huius artis magistri sunt (327 E sup. p. 140). Nihilominus tamen res est difficillima et ad aliquem altius in artem politicam evehendum ingenti sapientia opus est. Nam sapientiae maxima vis est in omnibus rebus humanis estque virtutis gubernatrix (352 D, 350 D).

Haec sunt fere quae Plato nos docet de Protagorae philosophia politica. Nam caetera quae virtutis naturam eiusque distributionem in virtutes, quae dicuntur cardinales, spectant, non esse Protagorae patet ex ipsius responsis, quibus, dialectices legibus coactus, non nisi aegre assentitur aut negat. Caeterum tota Protagorae hac de re doctrina continetur placito illo, iam saepius memorato: *τὸ δὲ μάθημά ἐστιν εὐβουλία περί τε τῶν οἰκείων, ὅπως ἂν ἄριστα τὴν ἑαυτοῦ οἰκίαν διοικοῖ, καὶ περὶ τῶν τῆς πόλεως, ὅπως τὰ τῆς πόλεως δυνατώτατος ἂν εἴη καὶ πράττειν καὶ λέγειν* (318 E).

CAPUT III.

Animadversio de rebus divinis.

Ex iis quae hactenus de Protagorae sensualismo disputavimus, sequitur eum de rebus divinis, quippe supra sensuum captum positis, omnino ne disquisivisse quidem; quare in Theaeteto, p. 162 D, Socrates e Protagorae sententia recte dicit: *Ὦ γενναῖοι παῖδές τε καὶ γέροντες, δημηγορεῖτε ξυγκαθεζόμενοι, θεούς τε εἰς τὸ μέσον ἄγοντες, οὓς ἐγὼ ἔκ τε τοῦ λέγειν καὶ τοῦ γράφειν περὶ αὐτῶν, ὡς εἰσὶν ἢ ὡς οὐκ εἰσίν, ἐξαιρῶ.* — At vidimus supra, eum tunc, quum populari ratione doceret, vulgares de diis opiniones secutum esse. Universe ex iis, quae nobis de eius philosophia supersunt, concludere licet eum res divinas, quippe extra doctrinam suam positas, in medio reliquisse; quod recte ita a nobis statui testatur Diogenes Laërtius.

Narrat enim hic (vid. quaest. VIII) Protagoram iam senem librum scripsisse *περὶ θεῶν*, cuius exordium hoc erat: *περὶ μὲν θεῶν οὐκ ἔχω εἰδέναι οὐθ' ὡς εἰσὶν, οὐθ' ὡς οὐκ εἰσίν. πολλὰ γὰρ τὰ κωλύοντα εἰδέναι. ἥ τε ἀδηλότης καὶ βραχὺς ὢν ὁ βίος τοῦ ἀνθρώπου* (Diog. Laërt. IX, 51). ***Res obscura est***, nam minime in sensuum perceptionem cadit; ***vita humana brevis est;*** quae si longior esset, fieri posset, ut usu edocti alia et plura perciperemus

quam fieri solent. In hac causa hoc in primis attendamus oportet, sophistam hanc quaestionem tunc demum movisse, quum iam senex et decrepitus esset, numquam vero, quantum scimus, de ea disputasse eo tempore, quo maxime ingenii vigore floreret. Nescimus quaenam causa fuerit cur senex de re ab ipsius philosophia tam aliena scribere instituerit; fortasse ab aliis ad id provocatus est, fortasse etiam insana sophistarum de eiusmodi rebus disputandi cupiditate (1) sese abripi passus est.

Quicquid vero est, effatum Protagorae supra memoratum magnum quidem momentum habet in ipsius vita, at vix opus ut de eo in sophistae philosophia mentio fiat, cum quia, ut monuimus, nihil fere cum ea commune habet, tum quia in effato illo rem in medio reliquit nec certi aliquid de ea decrevit.

Attamen veteres scriptores diligenter semper studentes philosophum aliquem impietatis accusare, hanc sophistae dubitationem in primis memorarunt; qua in re recentiores, rationem philosophiae Protagoreae haud perspicientes, eos plerumque secuti sunt.

Locos illos veterum iam citavimus sup. p. 52. Horum alii eadem fere ratione priora Diogenis verba tradunt, ut Cicero Nat. Deor. I, 23, 63; 42, 117; Philostr. sup. p. 8; Suidas, v. Πρωτ.; Lactant. Ir. Deor. IX; — alii praeterea addunt eum quoque

(1) Vid. *Sophist.* p. 232 C.

dixisse se nescire, *quales* sint dii, ut Cicero Nat Deor. I, 12, 29; Val. Max. I, 1, 7; Timon apud Sext. Emp. Adv. Math. IX, 56; idem ipse l. l. 55; Euseb. Praep. Euang. XIV, 3; ib., 19; Theodor. Graec. Affect. Cur. Disp. II (tom. IV, p. 758 Schulz); Theophil. ad Autol. III, 7; — posteriora Diogenis verba, quibus ratio redditur cur ita statuerit sophista, habent quoque Euseb. praep. evang. XIV, 19 et Theoph. ad Autol. III, 7; — placitum memorant Ioseph. c. Apion. II, 37; Max. Tyr. Diss. I (XVII), 5; Minuc. Fel. Octav. 8; Lact. fals. rel. I, 2; Cyrill. c. Jul. VI, p. 189 D; Ioann. Chrys. in Pauli ep. ad Corinth. I hom. IV, 5; Ioa. Sarisberiensis Policr. V, 4, p. 261 (Lugd. Bat. 1639). Quorum omnium verba describere haud operae pretium duximus, quia nihil afferunt ad ulteriorem cognitionem philosophiae Protagoreae.

Nec mirum est eum hanc ob causam a nonnullis atheismi fuisse accusatum, quorum alii ut Galenus l. l. (vid. sup. p. 17), Eusebius l.l. l.l. et Epiph. c. Haer. III, tom. II, p. 1088 B, id fecerunt stulta aetatis qua vivebant orthodoxiae opinione ducti, alii ut sophistam irrisione sua perstringerent ut Eupolis, qui eum in versibus sup. p. 15 memoratis vocat ἀλιτήριον.

Propter hoc exordium libri sui ab Atheniensibus capite aut exsilio damnatus est (cf. quaest. 8). Eiusmodi damnatio viri, qui tamen non diserte negaverat deos esse, neminem mirabitur, qui attendere velit ad

Atheniensium opiniones de diis, quas Socrates ultimo vitae spatio libere in lucem protraxisse fingitur a Platone. Dicit enim ille de calumniatoribus suis, quos magis timet quam accusatores publicos (Apol. 18 B): ἀλλ' ἐκεῖνοι δεινότεροι, ὦ ἄνδρες, οἱ ὑμῶν τοὺς πολλοὺς ἐκ παίδων παραλαμβάνοντες ἔπειθόν τε καὶ κατηγόρουν ἐμοῦ οὐδὲν ἀληθές, ὡς ἔστι τις Σωκράτης, σοφὸς ἀνήρ, τά τε μετέωρα φροντιστής, καὶ τὰ ὑπὸ γῆς ἅπαντα ἀνεζητηκώς, καὶ τὸν ἥττω λόγον κρείττω ποιῶν. οὗτοι ταύτην τὴν φήμην κατασκεδάσαντες, οἱ δεινοί εἰσί μου κατήγοροι. οἱ γὰρ ἀκούοντες ἡγοῦνται τοὺς ταῦτα ζητοῦντας οὐδὲ θεοὺς νομίζειν. Ex eadem oratione, p. 23 D, discimus hanc fuisse vulgarem accusationem contra omnes fere philosophos Res confirmatur Anaxagorae et omnium luculentissime Socratis ipsius exemplo Nulla igitur est causa cur philosophum, qui in publicis suis disputationibus vulgares de diis opiniones servabat, caeteroquin rem in medio relinquebat, ponamus in numero atheorum.

Magna similitudo intercedit inter Socratis et Protagorae damnationis causam; attamen posteritas non tam iniquum de illo quam de hoc iudicium tulit, quod certe adscribendum maiori aut minori notitiae, quam de utriusque viri doctrina habuit. Iniquum, inquam, iudicium, nam in ipsius Protagorae placitis, quae populo communicabat, nihil invenitur quod vulgari de diis opinioni nocere possit. In exordio fabulae de Prometheo certissima sunt testimonia de fide providentiae

divinae, deorum iussu variis animantibus ea tribuuntur quae singulis sunt aptissima, homini prae omnibus favetur, excellentissima eius facultas, ars politica, est donum Iovis ipsius, homo diis est cognatus (Prot. 322 A), in intimo eius animo est persuasio deos esse. Et ubi sententiam suam hac de re diserte patefacere debet, nondum deorum existentiam negat, sed rem in medio relinquit, utpote a philosophiae studio alienam.

CONCLUSIO.

Iam paucis ostendemus, Protagorae philosophiae de societate humana arctum quoque cum reliquis eius placitis intercedere vinculum. — Quum homo sit omnium rerum mensura, de ethica sermo esse nequit; sed in utile providendo alter altero est sapientior; itaque pro virtute substituenda est sapientia, ars, εὐβουλία. Et quod ad iustum et iniustum attinet, omnium hominum hac in re opiniones aeque verae sunt quidem, sed quia homo solus sibi vivere nequit, adesse debet societas humana; — haec sola arte politica conservatur; — ergo quia est civitas, iustum et iniustum non amplius pendere potest

a singulorum hominum opinione, sed illud, quod civitas legibus suis constituit, ab omnibus eius civibus iustum haberi debet.

In homine sunt facultates sublimiores, quas ipse sibi non dedit; quidni igitur tribuendae diis istis quos populus veneratur? — Si autem philosophice rem contemplaris rogans utrum sint revera dii necne, sine dubio respondendum, ingenium humanum ad tantum fastigium sese attollere non posse; nam rem obscuram esse et vitam brevem brevitate ipsa non suppeditare ad res supra sensuum perceptionem positas cognoscendas.

In quibusnam libris Protagoras haec omnia tractaverit, difficillima est quaestio; nam nulla hac in re indicia adsunt, praeter inscriptiones librorum, et hinc nihil certi ad eorum argumenta concludi posse, nemo est quin sponte agnoscat. Quid tamen verisimile videtur dabimus.

Argumenti oeconomici fuerunt: Προςτακτικός, *de praeceptis* (Diog. Laërt. IX, 55), continens fortasse introductionem in universam artem homines ad vitam socialem informandi.

Corporis cultum magis spectasse videtur liber *περὶ πάλης* (Diog. Laërt. l. l.), a Platone in Sophista p. 232 D, ita memoratus: Τὰ Πρωταγόρειά μοι φαίνει περί τε πάλης καὶ τῶν ἄλλων τεχνῶν εἰρηκέναι. Recte Frei, p. 191, Schleiermacherum refutat, contendentem πάλην non esse intelligendam de *luctatione*,

sed de rebus eristicis. Res satis expeditur exemplo Dionysodori et Euthydemi, Protagoreorum illorum, qui praeter artem eristicam quoque ὁπλομαχίαν profitebantur (1). Nullo iure Frei eundem librum inscripsit περὶ τεχνῶν.

In libro περὶ ἀρετῶν (Diog. Laërt. l. l.) fortasse exposuit de ἀρεταῖς seu τεχναῖς eo sensu, quo de iis monuimus sup. p. 132.

Ad idem argumentum verisimile est etiam pertinuisse περὶ τῶν οὐκ ὀρθῶς τοῖς ἀνθρώποις πρασσομένων (Diog. Laërt. l. l.), qui liber fortasse continuit praecepta de rebus corpus spectantibus, a quibus abstinendum, aut de τῷ μὴ συμφέροντι universe.

Argumenti politici fuerunt:

Περὶ πολιτείας (Diog. Laërt. l.l.).

Ἀντιλογιῶν δύο (Diog. Laërt. l. l. cf. sup. p. 116). De horum librorum argumento duobus locis nos docet Laërtius; narrat enim, III, 37: Ἣν πολιτείαν (Platonis) Ἀριστόξενός φησι πᾶσαν σχεδὸν ἐν τοῖς Πρωταγόρου γεγράφθαι Ἀντιλογικοῖς, et ib. 57 in recensione librorum Platonis: — τῆς μὲν πολιτείας, ἣν καὶ εὑρίσκεσθαι σχεδὸν ὅλην παρὰ Πρωταγόρᾳ ἐν τοῖς Ἀντιλογικοῖς φησὶ Φαβωρῖνος ἐν παντοδαπῆς ἱστορίας δευτέρῳ. Nulla causa est cur, uti multi fecerunt, hanc traditionem, quam ab Aristoxeno et Phavorino acce-

---

(1) Cf. *Stallb.* ad *Sophist.* l.l., *eundemque* in *proleg.* ad *Euthydem.*, p. 12.

pit Laërtius, in dubium vocaremus; verisimile enim est Protagoram in his libris aeque ac Platonem in suis de republica, in primis egisse de iusto et iniusto; quod quum in civitate ita constitui debeat, ut non amplius a singulorum hominum opinionibus pendeat, ideo quod revera cum placito illo primario, hominem esse omnium rerum mensuram, pugnet, in causa esse potuit ut eiusmodi liber insigniretur nomine *Contradictionum*.

De argumento libri περὶ τῆς ἐν ἀρχῇ καταστάσεως (Diog. Laërt. l.l.) haud parum discrepant recentiorum sententiae; HERBST. p. 148 sq. putat librum egisse de primaria mundi conditione, quo facto ad κατάστασιν supplendum erit κόσμου. GEEL, V. Cl., (p. 84) recte librum posuit in genere politico. FREI, p. 182 sq. censet in eo scriptum fuisse, »de antiquissima rerum publicarum ratione, quo pacto et ante conditas res publicas homines vixissent et ipsae essent constitutae;" qua assumtione ad κατάστασιν cogitatur ἀνθρώπων. — BERNAYS (*Rhein. Mus.* 1850, p. 466) illud κατάστασιν dictum esse pro προοιμίῳ existimat, quo facto referri debet inter libros de rhetorica. At me iudice hi omnes sibi nodum in scirpo quaerunt, nam res est simplicissima. Fuit liber e genere politico, sed particularem iuris quaestionem tractavit. Legimus enim in Xenophontis *Memor.* I, 2, 9, inter accusationes contra Socratem motas hanc fuisse, quod ὑπερορᾶν ἐποίει τῶν καθεστώτων νόμων τοὺς συνόντας λέγων, ὡς μωρὸν εἴη τοὺς μὲν τῆς πόλεως ἄρχοντας ἀπὸ κυάμου καθίστασθαι. Frequens est haec dictio καθιστάναι τινά (vid. Kuhner, ad l. l.); qua re suspicor Protagoram in hoc libro scripsisse contra morem quo magistratus apud Athenienses creari solebant, de quo vid. Hermann. *Gr. Staatsalterth.* § 149.

Non aliena ab argumento politico est quoque inscriptio libri περὶ φιλοτιμίας, *de ambitione* (vid. Diog. Laërt. l. l.).

Librum περὶ θεῶν iam memoravimus sup. p. 145. Recte Frei p. 179 sq. refutat C. F. HERMANNUM putantem hanc libri inscriptionem a Diogene Laërtio esse fictum titulum libri περὶ τοῦ ὄντος.

Ne coniici quidem potest quale fuerit argumentum libri περὶ τῶν ἐν Ἅιδου (Diog. Laërt. l. l.); at quum inter libros Democriteos eandem inscriptionem inveniamus, lectores meos ad Mullachium dimitto, l. l. p. 113 sqq., fuse de hoc libro disputantem, eo eventu, ut existimet in eo scriptum fuisse de hominibus, qui, quum pro mortuis habiti essent, tamen causis naturalibus reviviscerent; quod si verum est, et idem de libro Protagoreo valet, referendum erit inter scripta argumenti oeconomici.

SECTIO III.

De disciplinis.

CAPUT I.

Protagorae studia de lingua et grammatica.

§ 1. *De origine nominum.* Fuit inter antiquos philosophos magna dissensio de origine linguae, seu de quaestione, quomodo factum sit, ut sua quibusque rebus nomina tribuantur. Universe eorum sententiae in duas partes abierunt. Alii censebant nomina rebus data esse φύσει, i. e., unamquamque rem illud nomen habere quod ipsam rei naturam exprimit, alii contra contendebant nomina rebus imposita esse ϑέσει, νόμῳ, ἔϑει, συνϑήκῃ, ὁμολογίᾳ, i. e., nomina non exprimere ipsas rerum qualitates, sed pro libitu rebus esse data. Illorum sententiam sequebatur Heraclitus, vid. *Amm.* ad *Arist. de interpret.* p. 24 (cf.

Brandis, p. 103) : τῶν φύσει τὰ ὀνόματα εἶναι ἀξιούντων οἱ μὲν οὕτω τὸ φύσει λέγουσιν ὡς φύσεως αὐτὰ οἰώμενοι εἶναι δημιουργήματα, καϑάπερ ἠξίουν Κρατύλος καὶ Ἡράκλειτος, ἑκάστῳ τῶν πραγμάτων ὑπὸ τῆς φύσεως ἀφορίσϑαι τι λέγοντες οἰκεῖον ὄνομα, ὥςπερ καὶ αἴσϑησιν ἄλλην ἐπὶ ἄλλοις τῶν αἰσϑητῶν ὁρῶμεν τεταγμένην. ἐοικέναι γὰρ τὰ ὄνοματα ταῖς φυσικαῖς ἀλλ' οὐ ταῖς τεχνηταῖς εἰκοῦσι τῶν ὁρατῶν, οἷον ταῖς σκιαῖς καὶ τοῖς ἐν ὕδασιν ἢ τοῖς κατόπτροις ἐμφαίνεσϑαι εἰωϑῶσι. καὶ ὀνομάζειν μὲν οὕτως τοὺς τὸ τοιοῦτον ὄνομα λέγοντας, τοὺς δὲ μὴ τοῦτο μηδὲ ὀνομάζειν ἀλλὰ ψοφεῖν μόνον, καὶ τοῦ ἐπιστήμονος τοῦτο ἔργον εἶναι, τὸ ϑηρᾶν τὸ ὑπὸ τῆς φύσεως κατεσκευασμένον οἰκεῖον ἑκαστῷ ὄνομα, ὥςπερ τοῦ ὀξὺ βλέποντος τὸ ἀκριβῶς διαγιγνώσκειν τὰς οἰκεῖας τῶν ἑκάστων ἐμφάσεις. In oppositam partem abibat Democritus, quatuor ob causas statuens nomina non esse φύσει sed ϑέσει, 1°. ἐκ τῆς ὁμωνυμίας, 2°. ἐκ τῆς πολυωνυμίας, 3° ἐκ τῆς τῶν ὀνομάτων μεταϑέσεως, 4°. ἐκ τῆς τῶν ὁμοίων ἐλλείψεως (1).

(1) De omni hac quaestione data opera egit *L. Lersch*, *die Sprachphilosophie der Alten*, Bonn 1838, qui, p. 13 sq., hoc Democriti fragmentum apud *Proclum*, *Schol.* ad *Plat. Cratyl.* p. 6, tradit: Ὁ δὲ Δημόκριτος θέσει λέγων τὰ ὀνόματα, διὰ τεσσάρων ἐπιχειρημάτων τοῦτο κατεσκεύαζεν· ἐκ τῆς ὁμωνυμίας· τὰ γὰρ διάφορα πράγματα τῷ αὐτῷ καλοῦνται ὀνόματι· οὐκ ἄρα φύσει τὸ ὄνομα· καὶ ἐκ τῆς πολυωνυμίας· εἰ γὰρ τὰ διάφορα ὀνόματα ἐπὶ τὸ αὐτὸ

Eiusmodi disquisitionem de origine nominum Plato appellare solet *περὶ τῆς τῶν ὀνομάτων ὀρθότητος*. (Vid. *Crat.* 383 A; 384 A, B, C.) Quis eo nomine primus usus sit, non constat, sed eandem quaestionem de rectitudine nominum quoque a Protagora tractatam esse et e natura ipsius philosophiae et diserte quoque e loco Cratyli p. 391 C patet; de quibus vide quae monuimus in conclusione ad huius partis sectionem 2am. Quid itaque Protagoras de origine nominum senserit breviter disquirere iuvat.

Valde miror GODOFREDUM STALLBAUM, in praefatione sua ad Platonis Cratylum, p. 17, statuisse Protagoram secutum esse Heraclitum, qui statuebat nomina esse *φύσει*, quod quum pugnare videatur et cum Protagorae philosophia, et cum testimoniis in Platonis Cratylo, brevis disputatio contra eum instituenda erit.

Postquam (p. 17) monuit argumenta sua esse duplicis generis, ex universa Protagorae philosophia et e testimoniis in Cratylo obviis, primum suum argumentum sic profert.

———

καὶ ἓν πρᾶγμα ἐφαρμόσουσιν, καὶ ἐπάλληλα, ὅπερ ἀδύνατον· τρίτον ἐκ τῆς τῶν ὀνομάτων μεταθέσεως· διὰ τί γὰρ τὸν Ἀριστοκλέα μὲν Πλάτωνα, τὸν δὲ Τύρταμον Θεόφραστον μετωνομάσαμεν, εἰ φύσει τὰ ὀνόματα· ἐκ δὲ τῆς τῶν ὁμοίων ἐλλείψεως· διὰ τί ἀπὸ μὲν τῆς φρονήσεως λέγομεν φρονεῖν, ἀπὸ δὲ τῆς δικαιοσύνης οὐκ ἔτι παρονομάζομεν; τύχῃ ἄρα καὶ οὐ φύσει τὰ ὀνόματα. Καλεῖ δὲ ὁ αὐτὸς τὸ μὲν πρῶτον ἐπιχείρημα πολύσημον, τὸ δὲ δεύτερον ἰσόῤῥοπον ...... τὸ δὲ τέταρτον νώνυμον.

» Constat enim Abderitam probavisse sententiam » ab Heraclito acceptam, qua omnia perpetuo flumine » agitari statuebatur, cum eaque consociavisse alteram, » ex qua hominem volebat esse rerum omnium men- » suram. Quum igitur et fluere omnia existimaret et » sensus nostros arbitraretur se ad hanc rerum mu- » tationem ita accomodare, ut semper et ubique cum » illis convenirent, fieri profecto non potuit quin » etiam nomina rerum talia iudicaret esse, qualia a » quoque sensu et intelligentia perciperentur, hoc est » *natura* ."

At, si quid video, minus recte haec ita constituuntur. Nam habita philosophiae Protagoreae quam exposuimus ratione, haec habemus quae animadvertamus:

1°. Non verum est Protagoram probavisse Heracliti sententiam de motu. Motus Heracliti est via illa sursum et deorsum (v. Diog. L. IX, 8), qua unum elementum in alterum transit, idque ad certam definitamque regulam (*καθ' εἱμαρμένην*, Ib. 7), ita ut ex igne aqua, ex aqua terra, et sic contra, fiat. Protagoram autem non solum de elementis, de materie saltem, non egisse, sed diserte quoque omnem ordinem et regulam in mutatione tulisse, quod mihi nunc hanc qualitatem habere videtur, tibi fortasse aliam habere qualitatem, quod plane pendet a fortuita duorum factorum conditione, in huius partis sectione prima demonstrare conati sumus.

2°. Hinc etiam falsum est, cum huic Heracliti sententiae alteram consociavisse, hominem esse omnium rerum mensuram. Imo si Heracliti de motu sententiam habuisset, non ita statuere potuisset; apud Heraclitum enim ignis in aquam, aqua in terram transit non mihi solum sed omnibus omnino hominibus. Homo igitur est ei hac ex parte immutabilis, quia semper universi homines eadem ratione res externas considerant. Quod quam alienum sit a Protagorae doctrina sponte liquet.

3°. Falsum est e placito illo, hominem esse omnium rerum mensuram, consequi ut nomina sint naturalia. Ut naturalia sint res certam stabilemque *οὐσίαν* habere debent, quae non pro tempore aliquo, sed semper, iis inhaerere debet; praeterea homo ipse debet esse immutabilis, quippe res semper eadem ratione observans; quod quum Protagoras diserte neget, sequitur, singulos homines res tales nominasse, quales hoc ipso temporis articulo, quo sensibus observantur, ipsis esse videbantur. Quod quum aliquis fecisset, nomen, quod ille rei alicui imposuerat, etiam ab aliis acceptum fuit, ut homines, quippe in societate viventes, sese invicem intelligerent; plane eadem ratione ac de iusto et iniusto in civitate constituto vidimus; modo autem hoc res nomina acceperunt non amplius ab unuscuiusque sententia pendentia, sed publica auctoritate constituta, i. e. *θέσει, συνθήκῃ* aut *ὁμολογίᾳ*.

Deinde STALLB. sic pergit: » Atque hoc a nobis » recte coniici plures Cratyli loci non obscure testan- » tur. Nam primum quidem ita perspicitur, cur » Hermogenes, qui nomina omnia volebat usu et pacto » nata tanto cum contemtu de *veritate* loquatur. In » qua si sophista arbitrariam vocabulorum originem » defendisset, interlocutor haud dubie de illo opere » aliter fuit iudicaturus."

Verum est Hermogenem velle ut nomina orta sint usu et pacto, sed non verum est eum in oppositam Protagorae partem ivisse. Nam postquam (p. 384 C) sententiam suam hac de re enuntiavit, et Socrates eius errorem in luce ponere conatus est (385 A sqq.), tamen sententiam suam repetit, dicens: *Οὐ γὰρ ἔχω ἔγωγε, ὦ Σώκρατες, ὀνόματος ἄλλην ὀρθότητα ἢ ταύτην, ἐμοὶ μὲν ἕτερον εἶναι καλεῖν ἑκάστῳ ὄνομα, ὃ ἐγὼ ἐθέμην, σοὶ δὲ ἕτερον, ὃ ἂν σύ* (385 D).

Illud, singulos homines licere ea nomina imponere ut ipsis videatur, quam egregie conveniat cum Protagoreo illo, singulis hominibus res tales esse quales ipsis esse videantur, nemo non videbit. Hoc etiam observat Socrates, qui statim respondet (385 E): *Φέρε δὴ ἴδωμεν, ὦ Ἑρμόγενες, πότερον καὶ τὰ ὄντα οὕτως ἔχειν σοι φαίνεται, ἰδίᾳ αὐτῶν ἡ οὐσία εἶναι ἑκάστῳ, ὥςπερ Πρωταγόρας ἔλεγε, λέγων πάντων χρημάτων μέτρον εἶναι ἄνθρωπον, ὡς ἄρα οἷα μὲν ἂν ἐμοὶ φαίνηται τὰ πράγματα εἶναι, τοιαῦτα μὲν ἔστιν ἐμοί, οἷα δ' ἂν σοί, τοιαῦτα δ' αὖ σοί· ἢ ἔχειν δοκεῖ*

σοι αὐτὰ αὐτῶν τινὰ βεβαιότητα τῆς ουσίας. Quaenam causa excogitari potest, cur Socrates hoc Protagorae placitum statim post Hermogenis dicta citet, nisi haec quod sentiat haec ex illo consectaria esse? — Hermogenes autem fatetur se aliquando eadem ratione ac Protagoram sensisse, dicit enim: *Ἤδη ποτὲ ἔγωγε, ὦ Σώκρατες, ἀπορῶν καὶ ἐνταῦθα ἐξενέχθην, εἰς ἅπερ Πρωταγόρας λέγει. οὐ πάνυ τι μέντοι μοι δοκεῖ οὕτως ἔχειν.* Fatetur igitur se aliquando Protagorae doctrina imbutum fuisse, sed sophistae sententiam de natura rerum (de hac enim rogaverat Socrates) sibi non amplius placere. Negat igitur principium, quod ex eo sequitur tamen probat. Eiusmodi inconsequentia Hermogenis, quem caeterum vix cognoscimus, non potest esse causa ut statuamus, ideo quod aliquid e philosophia Protagorae respueret, eum quoque in aliis rebus dissensisse a sophista.

Ex iis quae porro Socrates disputat pariter patet, illud, nomina esse *συνθήκῃ*, prorsus consentaneum esse Protagorae placito. Nam ut sententiam Hermogenes refutet, ostendit primo res habere essentiam propriam, deinde actiones quoque habere essentiam, tandem nomina dare esse actionem; unde sequitur nomina aeque ac res ipsas habere essentiam propriam, i. e. ea esse *φύσει.* — Iam totus dialogus versatur in hac Protagorae sententia, et Socrates quam plurima argumenta affert ut ostendat nomina omnino respondere propriae certaeque singularum re-

rum naturae. Tandem quum in fine dialogi Cratylus, cuius partes defenderat Socrates, eo usque procedat, ut dicat, e nominibus cognosci posse ipsas res, philosophus suam ipsius sententiam profert, ex ideis contendens rerum naturam cognosci debere. Argumentum Cratyli me iudice multis in partibus cum Theaeteti convenit. Quemadmodum in hoc dialogo placitum illud Protagorae, quod ad *rerum naturam* attinet, refutatur, sic in Cratylo idem placitum ad *originem vocabulorum* relatum refellitur; quin verisimile est, in duobus hisce dialogis contineri universam refutationem *Ἀληθείας*, in qua supra (p. 114) vidimus utramque materiam tractatam fuisse; quae suspicio eo confirmatur, quod in duobus hisce dialogis identidem de hoc opere mentio fit, in caeteris vero nusquam.

Quod porro Stallbaum p. 18 dicit, eos in Cratylo perstringi, qui originationes vocabulorum ab Homero repeterent, eosque fuisse Protagoreos, eo probare studet quod in Theaeteto Protagoras dicit Homerum, non minus quam alios poëtas et philosophos, iam perpetuum motum statuisse. Quod argumentum ad rem praesentem quid valeat, ipse lector videat.

Itaque Stallbaum hoc argumento usus, quod Hermogenes aliquis dicit (p 386 A, 391 E) se Protagorae philosophiam non probare, efficit hanc ob causam Protagoram habuisse oppositam ei sententiam de origine vocabulorum; quum contra omnia postulent,

Protagoram statuisse, nomina esse *συνθήκῃ*. Verbo, ex ipsis illius viri argumentis, quum de philosophia Protagorea, tum de Cratylo dialogo, plane contrarium mihi statuendum esse videtur.

Itaque, ut paucis complectar, haec fere fuit Protagorae sententia de origine nominum: homini a deo tributa est artis facultas (Prot. 322 A), qua voces articulavit; quum autem singulis hominibus res tales sint, quales iis appareant, consequens esset ut varii homines sibi quoque varia nomina eiusdem rei formarent; quod tamen si fieret homines sese invicem non intelligerent. At prouti de iusto et iniusto vidimus, quamquam omnes hac in re aeque recte sentiunt, tamen ad civitatem constituendam opus esse ut omnes cives idem iustum et iniustum agnoscant, sic quoque in lingua debet esse legislator, ut quaecumque nomina civitas agnoscat, haec revera rebus convenire existimentur; hinc factum ut in singulis civitatibus sint linguae admodum diversae (Crat. 385 D, E); at propterea quoque cavendum ne in disputando ad vocabula sola attendamus et ex his de rebus iudicemus (Theaet. 166 E).

Protagoram nova formasse vocabula, quum nonnulla systemati eius non convenirent, iam monuimus in conclusione ad huius partis sect. 1.

§ 2. *De grammatica.* Quamquam etymologia non parvo est adiumento ad rectam interpretationem eorum quae ab aliis dicta scriptave sunt, magis tamen prodest grammatica, quae versatur in singulorum vocabulorum formis rite diiudicandis. Quid enim iuvat originem et significationem singulorum nominum cognoscere, nisi simul perspiciamus quamnam vim mutuam unum in altero habeat, quomodo singula ad sententiam aliquam formandam cohaereant?

Protagoram iam iuvenem rei grammaticae operam navasse, litteras in pagis patriae suae docendo, vidimus (sup. p. 33). Hanc vero disciplinam nihil complexam esse praeter legendi et scribendi facultatem, verisimile fit ex iis quae disputat CLASSEN, *de grammaticae Graecae primordiis*, p. 3 sqq.

Postea eum in re grammatica altius escendisse et in primis de *nominum generibus* disquisivisse, testatur Aristoteles Rhet. III, 5: *Πρωταγόρας τὰ γένη τῶν ὀνομάτων διῄρει, ἄῤῥενα καὶ θήλεα, καὶ σκεύη. δεῖ γὰρ ἀποδιδόναι καὶ ταῦτα ὀρθῶς· »ἡ δ' ἐλθοῦσα καὶ διαλεχθεῖσα ᾤχετο."*

Ad quamnam normam hanc generum distinctionem instituere voluerit, non obscure significatur ab eodem Aristotele in Sophist. Elench. cap. 14: *Σολοικισμὸς οἷον μέν ἐστι εἴρηται πρότερον. ἔστι δὲ τοῦτο καὶ ποιεῖν καὶ μὴ ποιοῦντα φαίνεσθαι καὶ ποιοῦντα μὴ δοκεῖν, καθάπερ ὁ Πρωταγόρας ἔλεγεν, εἰ ὁ μῆνις καὶ ὁ πήληξ ἄῤῥεν ἐστίν. ὁ μὲν γὰρ λέγων οὐλομένην σολοικίζει μὲν κατ' ἐκεῖνον, οὐ φαίνεται δὲ τοῖς ἄλλοις, ὁ δὲ οὐλόμενον φαίνεται μέν, ἀλλ' οὐ σολοικίζει.* Sententia est: masculina secundum Protagoram sunt ea nomina quae virile aliquid, seu aliquid quod viris

convenit significant. At vulgaris usus magis ad terminationes quam ad significationes attendit. Sic *ira*, *galea* viris conveniunt; itaque proprie masculina esse debuissent; at usus loquendi haec vocabula feminina fecit; quare Homerus dicens οὐλομένην, secundum Protagoram revera soloecismum committit, is autem qui diceret οὐλόμενον soloecismum committere videretur, at ex eiusdem sententia revera non committeret.

Verum quidem est in Aristophanis Nubibus inde a versu 645 similes quaestiones inveniri de genere nominum. An vero haec omnia in Protagoram *solum* transferre nobis liceat, quod fecerunt Bergk p. 118 et 333 et Frei p. 131 (auctoritate Spengeli), praeterea multi alii, equidem vehementer dubito. Etenim quaenam causa esse potuerit ut Aristophanes Protagoram solum cavillatus esset sub Socratis persona; quidni si hoc solum eius consilium fuisset, ipsum Protagoram in scenam duxisset? — Melius, opinor, poëtae consilium exposuit G. HERMANN in praef. ad Arist. Nub. Lips. 1830, p. XL sqq., qui putat sub Socratis persona, quippe omnibus maxime nota, universe sophistas illos et philosophos irrideri, qui non solum inani rerum sublimium perscrutatione adolescentes ab utilibus studiis avocarent, sed etiam mores iuventutis per fallaces dicendi artes, quibus et absurdissima quaevis et scelerosissima defendi possent, corrumperent ac penitus depravarent. Hanc autem Socratis personam male

esse electam ad id genus hominum repraesentandum, atque hanc ipsam ob causam Aristophani in certamine scenico praelatos fuisse Cratinum et Amipsiam, p. LXVII sqq. recte monet (1). Neque Protagoram solum in hac fabula indicari, inde efficere licet quod in ea invenitur illud τὸν ἥττω λόγον κρείττω ποιεῖν· nam hanc artem e populi opinione omnium sophistarum et philosophorum propriam fuisse disci potest e Platonis Apologia p. 18 B, C et 23 D.

Utut autem hac de re statuitur, Aristophanis versus parum conferunt ad Protagorae doctrinam illustrandam, quum in iis eadem fere, quae in Aristotelis loco de soloecismo legimus, in ludibrium vertantur.

De verborum temporibus videri potest disputavisse Protagoras existimantibus eo respicere *Diog. Laërt.* IX, 52 dicentem: καὶ πρῶτος μέρη χρόνου διώρισε, καὶ καιροῦ δύναμιν ἐξέθετο. Atque C. F. HERMANN (*Ztsch. f. Alt.* 1834, p. 381), non minus quam FREI (p. 133), hac de re non dubitat. HERBST autem putat de scholis horarum ordine dispositis hic sermonem esse. Quod plurimum hanc sententiam, de tempore rite adhibendo, confirmare videtur, est quod praecessit modus quo mercedem exigere solebat Protagoras, et proxime sequitur mentio certaminum orationum, quae instituit sophista, quibuscum nemo negabit aptam temporis distributionem arcte cohaerere.

(1) Cff. *Ph. G. van Heusde, Character. princ. phil.*, p. 35 sq., 66 sqq.

In studiis suis grammaticis neque *syntaxin* neglexisse Protagoram, constat testimonio Diogenis Laërtii IX, 54, p. 4 laudato: quod descripsit Suidas (sup. p. 11). Tradunt hi Protagoram constituisse quatuor genera orationis, *εὐχωλήν*, *ἐρώτησιν*, *ἀπόκρισιν* et *ἐντολήν*. Quae autem deinde apud Laërtium sequuntur *οἱ δὲ εἰς ἑπτά* — non ad Protagoram pertinere diserte monet Suidas: *μετὰ δὲ τοῦτον ἕτεροι εἰς ἑπτὰ διεῖλον*. Idem animadvertendum de testimonio Alcidamantis, quod nihil cum Protagorae causa commune habere, luculentissime quoque patet e Suida (cf. sup. p. 13). Cum his testimoniis consentit Quinctilianus Inst. III, 4, 10: *Protagoram transeo, qui interrogandi, respondendi, mandandi, precandi, quod εὐχωλήν dixit, partes solas putat.*

Non potuit mihi persuadere Frei, p. 134 sqq., haec fuisse *modos verborum;* nam primo de verbo (*ῥήματι*) hic minime sermo est, sed Diogenes diserte dicit *διεῖλέ τε τὸν λόγον*, et *οὓς καὶ πυθμένας εἶπε λόγων*. Deinde si integrum locum Quinctiliani legisset, ne cogitasset quidem de verborum modis; nam Quinctilianus agit de generibus tribus rhetorices, de genere iudiciali, deliberativo et demonstrativo; deinde sic pergit: *Anaximenes iudicialem et concionalem generales partes esse voluit; septem autem species: hortandi, dehortandi, laudandi, vituperandi, accusandi, defendendi, exquirendi, quod ἐξεταστικὸν dicunt, quarum duae primae deliberativi; duae sequentes*

demonstrativi; tres ultimae iudicialis generis sunt partes. Protagoram transeo, qui interrogandi, respondendi, mandandi, precandi — partes solas putat. Ex his luce clarius patet quatuor haecce non esse modos verborum, sed *partes* aut *species generum* rhetorices; Protagoram autem transit quia non tot partes posuit quot Anaximenes. Quae dixi confirmantur auctoritate Aristotelis, de poëtica cap. 19, qui postquam egit de *διανοίᾳ*, quae magis ad rhetoricam pertinet et cuius partes sunt *ἀποδεικνύναι*, *λύειν* et *πάθη παρασκευάζειν*, deinde de formis elocutionis (*τὰ σχήματα τῆς λέξεως*), sic pergit· *ἅ ἐστιν εἰδέναι τῆς ὑποκριτικῆς, καὶ τοῦ τὴν τοιαύτην ἔχοντος ἀρχιτεκτονικήν. οἷον τί ἐντολή, καὶ τί εὐχή, καὶ διήγησις, καὶ ἀπειλή, καὶ ἐρώτησις, καὶ ἀπόκρισις καὶ εἴ τι ἄλλο τοιοῦτον. Παρὰ γὰρ τὴν τούτων γνῶσιν ἢ ἄγνοιαν οὐδὲν εἰς τὴν ποιητικὴν ἐπιτίμημα φέρεται, ὅτι καὶ ἄξιον σπουδῆς. Τί γὰρ ἄν τις ὑπολάβοι ἡμαρτῆσθαι ἃ Πρωταγόρας ἐπιτιμᾷ; ὅτι εὔχεσθαι οἰόμενος ἐπιτάττει εἰπών·*

» *Μῆνιν ἄειδε θεά —*

τὸ γὰρ κελεῦσαι, φησί, ποιεῖν τι ἢ μή, ἐπιταξίς ἐστι. Διὸ παρείσθω, ὡς ἄλλης καὶ οὐ τῆς ποιητικῆς ὂν θεώρημα.

Hic quidem de modis verborum sermo non est; nam histrio, inquit, debet scire quando una ex hisce speciebus rhetorices a scriptore adhibita sit, ut convenientes apud auditores affectus excitet. Protagoras

autem subtilius de his dicendi formis apud poëtas disquisivit. Patet autem illum ideo Homerum carpsisse quod hic Iliadis initio non *εὐχωλήν* adhibuit, sed *ἐντολήν* (*ἄειδε θεά*). Sequitur porro recte vs. 8 *ἐρώτησις* (*τίς τ' ἄρ' —*), dein *ἀπόκρισις* (*Λητοῦς —*), tandem *εὐχωλή* vs. 15 (*ἐλίσσετο —*). Itaque inverso ordine Homerus his rhetorices speciebus usus fuerat.

Quamobrem equidem censeo rem praesentem minime pertinere ad verborum modos, sed potius ad eam partem syntaxeos quae docet quomodo per eadem vocabula, sed variis modis collocata, variae oriantur rationes quibus aliquid enuntiari possit; unde fit ut lector vel auditor statim intelligat quid auctor in animo habeat.

De omnibus his studiis grammaticis vulgo existimatur Protagoras egisse in Ὀρθοεπείᾳ, quae memoratur in Phaedro, p. 267 C (ubi vid. STALLB.): *Πρωταγόρεια δὲ, ὦ Σώκρατες, οὐκ ἦν μέντοι τοιαῦτ' ἄττα*; ΣΩΚ: *Ὀρθοέπειά γέ τις, ὦ παῖ, καὶ ἄλλα πολλὰ καὶ καλά.* Ex proxime praecedentibus discimus haec *τοιαῦτ' ἄττα* referri ad *τὰ Πώλου — μουσεῖα λόγων, ὡς διπλασιολογίαν, καὶ γνωμολογίαν, καὶ εἰκονολογίαν, ὀνομάτων τε Λικυμνείων, ἃ ἐκείνῳ ἐδωρήσατο πρὸς ποίησιν εὐεπείας.* A quibus tamen diversam esse *ὀρθοεπειαν*, auctor est *Hermias*, in cuius scholiis ad hunc dialogum, quae edidit Ast, p. 192, haec legimus: *τὸ δὲ ὀρθοέπειά γέ τις,*

τουτέστι, κυριολεξία· διὰ γὰρ τῶν κυρίων ὀνομάτων μετήρχετο ὁ Πρωταγόρας τὸν λόγον, καὶ οὐ διὰ παραβολῶν καὶ ἐπιθέτων (1). GROTHE, in dissert. *de Socrate Aristophanis*, Trai. 1843, p. 122 sqq., recte attendens ad locum Prot. 338 E (inf. p. 170), putat Protagoram in hoc libro egisse de interpretatione carminum, quae praecipue verborum usu et potestate examinanda constaret. Itaque, quam Quinctil. Inst. Or. I, 5, 6 appellavit *rectam locutionem* et *emendatam cum suavitate vocum explanationem*, ea *ὀρθοέπεια* quin alia censenda sit et diversa a Protagorea, dubitari nequit. Sed ad rem ipsam et argumentum libri accedamus.

§ 3. *De interpretatione integrorum locorum.* E Platone discimus Protagoram quoque multum studii adhibuisse in interpretandis aliis auctoribus, in primis poëtis (vid. Prot. 338 E sq.). Non autem legimus leges hermeneutices ab eo praescriptas fuisse, nisi eo spectet locus Theaet. 168 B, ubi Protagoras sub

---

(1) Cf. *Schleierm. ad Phaedrum*, p. 393: *der Scholiast erklärt den Ausdruk für ein Synonym von* κυριολεξία. *»Protagoras, sagt er, bediente sich immer des eigentlichen Ausdruks, nicht der bildlichen Art zu reden, noch der durch Beiwörter." Wenn dies auch bis auf die Beiwörter (die in dem seinem Stile nachgebildeten Mythos in dem gleichnamigen Gespräch sehr zahlreich sind) ganz wahr ist, so ist doch hier vielleicht auch im Gegensaz der obigen* εὐέπεια *nur die Rede von der Beschaffenheit der vom Protagoras erfundenen Kunstwörter.*

Socratis persona monet non esse interpretandum ἐκ συνηθείας ῥημάτων τε καὶ ὀνομάτων, ἃ οἱ πολλοὶ ὅπῃ ἂν τύχωσιν ἕλκοντες ἀπορίας ἀλλήλοις παντοδαπὰς παρέχουσι, quibuscum fere conveniunt haec (p. 166 D): τὸν δὲ λόγον αὖ μὴ τῷ ῥήματί μου δίωκε.

Quaenam sint officia boni interpretis, docet in Prot. 338 E sq.: ἡγοῦμαι, ἔφη, ὦ Σώκρατες, ἐγὼ ἀνδρὶ παιδείας μέγιστον μέρος εἶναι περὶ ἐπῶν δεινὸν εἶναι. ἔστι δὲ τοῦτο τὰ ὑπὸ τῶν ποιητῶν λεγόμενα οἷόν τ' εἶναι ξυνιέναι ἅ τε ὀρθῶς πεποίηται καὶ ἃ μή, καὶ ἐπίστασθαι διελεῖν τε καὶ ἐρωτώμενον λόγον δοῦναι. Itaque interpretatio debet esse partim critica, qua investigatur quid scriptor recte aut non recte dixerit, partim logica, qua sententiarum nexus observatur et quaenam fuerint auctoris ratiocinia disquiritur.

Huius Protagorae artis specimen habemus in Platonis Prot. p. 339 A sqq. — Dixerat enim Simonides in carmine ad Scopam, Creontis Thessali filium:

Ἄνδρ' ἀγαθὸν μὲν ἀλαθέως γενέσθαι χαλεπόν,
χερσίν τε καὶ ποσὶ καὶ νόῳ τετράγωνον, ἄνευ ψόγου
(τετυγμένον.

At quum in eodem carmine paulo post scripsisset:

Οὐδέ μοι ἐμμελέως τὸ Πιττάκειον νέμεται,
καίτοι σοφοῦ παρὰ φωτὸς εἰρημένον· χαλεπὸν φάτ'
(ἐσθλὸν ἔμμεναι (1).

---

(1) *Simon. Fragm.* Ed. Schneidewin. p. 15 sqq.

Protagoras contendit haec neque recte neque pulchre a poëta dicta esse, quippe qui sibi contraria dixerit. Quum enim in priore carminis parte statuisset: difficile est ut vir bonus sit, in altera parte Pittacum reprehendit idem affirmantem.

Longum est exponere, qua ratione quamque egregie Socrates susceptam Simonidis defensionem tueatur. Hoc animadvertamus, Socratem in interpretatione sua non minus ad totius carminis tenorem attendisse quam ad singula vocabula, Protagoram contra *vocabulis* adhaesisse, non vero *universi carminis* habuisse rationem. Quod quidem ipsum illud est, quod Diogenes Laërtius (sup. p. 4) memoravit verbis: καὶ τὴν διάνοιαν ἀφεὶς πρὸς τοὔνομα διελέχθη. Neque enim aliud est τὸ ἐπιπολάζον γένος τῶν ἐριστικῶν, cuius ne nunc quidem intermortui auctorem fuisse Protagoram idem iudicavit.

Ad illum autem Platonis locum minime referri debet *Themistius Or.* XXIII, pag. 289, ed. Hard. (356 Dind.) ἐπεὶ καὶ Πρόδικος καὶ Πρωταγόρας ὁ Ἀβδηρίτης, ὁ μὲν ὀρθοέπειάν τε καὶ ὀρθορρημοσύνην μισθοῦ ἐκδιδάσκων τούς νέους, ὁ δὲ τὰ Σιμωνίδου τε καὶ ἄλλων ποιήματα ἐξηγούμενος, σοφισταὶ ὅμως καὶ ἤστην καὶ ἐλεγέσθην. De quo loco vide disputantem Frei p. 129, cui dicuntur Spengel (p. 59), et Lersch (*Sprachphil. der Alten*, I, p. 15) errasse, quod interpretationem Simonidis Prodico vindicarunt. Praeeunte Welckero (*Rhein. Mus.* 1833, p. 559, annot. 163) putat

Frei, memoriae vitio tribuendum esse, quod Themistius ὀρθοέπειαν Prodico adscribat. At vero si ipsum Platonis dialogum studiose investigassent, patuisset iis, bonâ memoriâ fuisse Themistium; nam quum p. 347 B Hippiam profitentem audiamus se quoque de eodem carmine posse verba facere, dubitari non potest quin et caeteri sophistae et vero Prodicus suo quisque modo enarrare poëtas consueverint, ita ut ὀρθοέπεια non unius fuerit Protagorae. Quod vero attinet ad ὀρθορρημοσύνην, haec maxime propria fuit Prodici; verba enim (ῥήματα) illum accurate distinguere studuisse, abunde patet, v. c. ἀμφισβητεῖν et ἐρίζειν, εὐδοκιμεῖν et ἐπαινεῖν, εὐφραίνεσθαι et ἥδεσθαι p. 337, βούλεσθαι et ἐπιθυμεῖν p. 340 A. Quas artes mercede pactus docebat, quod non videtur fecisse Protagoras.

CAPUT II.

Protagorae studia de dialectica et rhetorica.

Hae duae disciplinae coniunctim tractandae sunt, quia Protagoras iis quoque promiscue usus esse videtur eodemque proposito, ut aliis persuaderet aut causam suam defenderet; solum discrimen inter eas ipsi erat, quod dialectica constaret τῇ βραχυλογίᾳ, rhetorica τῇ μακρολογίᾳ.

Quum Protagoras profiteretur se efficere ut quicumque suas scholas frequentaret fieret δυνατώτατος τὰ τῆς πόλεως καὶ πράττειν καὶ λέγειν (Prot. 319 A), sponte liquet eum quoque exercitationes instituisse ne discipuli in posterum carerent facultate publice dicendi et acumine in disputando. Hoc testantur Suidas v Πρωταγόρας· πρῶτος δε οὗτος τοὺς ἐριστικοὺς λόγους εὗρε καὶ ἀγῶνα λόγων ἐποιήσατο, — *Diogenes Laërt.* IX, 52: καὶ λόγων ἀγῶνας ἐποιήσατο· cff. *Eudocia* et *Schol.* ad *Plat. Remp.* X, 600 C.

Hae exercitationes ita institutae fuisse videntur ut discipulis quaestiones proponerentur de quibus esset disputandum; vid. *Diog. Laërt.* IX, 53: καὶ πρῶτος κατέδειξε τὰς πρὸς τὰς θέσεις ἐπιχειρήσεις, ὥς φησιν Ἀρτεμίδωρος ὁ διαλεκτικὸς ἐν τῷ πρὸς Χρύσιππον. Ponere, de quibus ipse copiose ornateque diceret, jussit Gorgias; Protagoras vero maxime docebat, quibus argumentis et artibus opus esset, ut quae posita ab alio essent debilitarentur et frangerentur. Quum vero *αἱ* πρὸς τὰς θέσεις ἐπιχειρήσεις praeterea a nemine memorentur, vix definiri potest quales fuerint.

Cum quaestionibus fortasse similitudinem habuere *loci communes*, quos Protagoram scripsisse narrat Cicero in Bruto cap. 12: » *Itaque, ait Aristoteles, cum sublatis in Sicilia tyrannis res privatae longo intervallo iudiciis repeterentur, tum primum, quod esset acuta*

illa gens et controversa natura, artem et praecepta Siculos Coracem et Tisiam conscripsisse; nam antea neminem solitum via nec arte, sed accurate tamen et de scripto plerosque dicere, scriptasque fuisse et paratas a Protagora rerum illustrium disputationes, quae nunc communes appellantur loci. Quod idem fecisse Gorgiam, cum singularum rerum laudes vituperationesque conscripsisset, quod iudicaret hoc oratoris esse maxime proprium, rem augere posse laudando vituperandoque rursus affligere" (cf. Frei p. 41 sqq. et 152 sq.). His communibus locis continebatur argumentum aliquod universale, laudatio virtutis aut vituperatio vitii alicuius, omissis personis, locis, temporibus (1). Discrimen inter theses et locos communes hoc esse videtur, quod illae erant exercitationes dialecticae, hi vero exercitationes rhetoricae, quibus futuri oratores semper haberent paratos locos de rebus saepe redeuntibus, quos orationibus suis immiscerent. Hos locos communes spectare videtur *Diog. Laërt.* IX, 52, (sup. p. 4) dicens: *σοφίσματα τοῖς πραγματολογοῦσι προσήγαγεν.*

Duplici modo disputationem institui posse docet Protagoras in Theaet. p. 167 D: *σώζεται γὰρ ἐν τούτοις ὁ λόγος οὗτος, ᾧ συ εἰ μὲν ἔχεις ἐξ ἀρχῆς ἀμφισβητεῖν, ἀμφισβήτει, λόγῳ ἀντιδιεξελθών, εἰ δὲ δι' ἐρωτήσεων*

---

(1) Vid. *Cic. de Orat.* III, 27, 106; *Quinct., Inst. Or.* II, 1 et 4; V, 13.

βούλει, δι' ἐρωτήσεων. οὐδὲ γὰρ τοῦτο φευκτέον, ἀλλὰ πάντων μάλιστα διωκτέον τῷ νοῦν ἔχοντι, quibuscum cf. Diog. Laert. IX, 50: *οἷς (λόγοις) καὶ συνηρώτα, πρῶτος τοῦτο πράξας.* Itaque statuebat disputari posse continua oratione aut interrogando respondendoque. Prius genus dictum esse videtur *μακρολογία*, posterius *βραχυλογία*, vid. e. g. Prot. 329 B: *Πρωταγόρας δὲ ὅδε ἱκανὸς μὲν μακροὺς λόγους καὶ καλοὺς εἰπεῖν, ὡς αὐτὰ δηλοῖ, ἱκανὸς δὲ καὶ ἐρωτηθεὶς ἀποκρίνασθαι κατὰ βραχὺ καὶ ἐρόμενος περιμεῖναι τε καὶ ἀποδέξασθαι πὴν ἀπόκρισιν, ἃ ὀλίγοις ἐστὶ παρεσκευασμένα*, cf. p. 334 E. Hanc *βραχυλογίαν* quamquam alii quoque sophistae profitebantur (vid. Gorgias p. 449 B sqq., ubi est luculentissimum huius generis exemplum), tamen non vehementer eam amabant; sic Protagoras in cognomine dialogo, p. 348 C. vix cogi potest ad interrogandum et respondendum; cf. 335 B, et quae monet Alcibiades p. 336 C. — Magis autem iis placebat *μακρολογία*, qua in utramque partem orationes habebantur, in quo disputandi genere sophistae melius facultates oratorias ostentare poterant. Huius rationis exemplum est in Prot. p. 323 C—328 A, ubi Protagoras perpetua oratione defendit sententiam suam, virtutem doceri posse (cf. sup. p. 133 sqq.).

In disputando autem leges sunt observandae, quas qui violat, is *ἀδικεῖ* seu *κακουργεῖ ἐν τοῖς λόγοις*, vid. Theaet. 167 D: *ἀδικεῖν δ' ἐστὶν ἐν τῷ τοιούτῳ, ὅταν τις μὴ χωρὶς μὲν ὡς ἀγονιζόμενος τὰς διατριβὰς*

ποιῆται, χωρὶς δὲ διαλεγόμενος, καὶ ἐι μὲν τῷ παίζῃ τε καὶ σφάλλῃ καθ' ὅσον ἂν δύνηται, ἐν δὲ τῷ διαλέγεσθαι σπουδάζῃ τε καὶ ἐπανορθοῖ τὸν προσδιαλεγόμενον, ἐκεῖνα μόνα αὐτῷ ἐνδεικνύμενος τὰ σφάλματα, ἃ αὐτὸς ὑφ' ἑαυτοῦ καὶ τῶν προτέρων συνουσιῶν παρεκέκρουστο. Itaque attendendum est utrum exercitationis causa disputetur an veri investigandi gratia; tunc enim non amplius licet adversarium suum variis artibus et dolis fallere. Sic quoque in Prot. 350 C iure indicat Socratem in disputando fraudem commisisse; hic enim statuerat aliquid quod nondum probatum aut concessum erat. Sententia autem sophistae de disputationibus exercitii causa institutis effecit ut multi iniquius de eius dialectica iudicium tulerint, qua de re mox videbimus.

Argumenta quibus sententiam suam probare solebat admodum varii generis fuisse videntur; saepe provocat ad communem hominum sensum, vid. Prot. 328 C, 340 E, 333 C (ubi hanc ipsam ob causam non audet assentiri, iniustum esse posse temperantem); utitur fabula p. 320 C sqq.; exemplis p. 327 A, D, E, 328 A. Valere haec possunt ad ea, quae p. 173 ad Diog. Laërt. locum diximus, illustranda.

Haec disputandi ratio in omnibus omnino rebus valebat; nulla res de qua disputari nequeat; quod Protagoras sic enuntiabat: (Diog. Laërt. IX, 51): *Δύο λογοι εἰσὶ περὶ παντὸς πράγματος ἀντικείμενοι ἀλλήλοις*, — Clem. Alexandr. Strom. VI, p. 674 A

καὶ ἐπειδὴ Ἑλληνές φασι Πρωταγόρου προκατάρξαντος, παντὶ λόγῳ λόγον ἀντικείμενον παρεσκευάσθαι. — Seneca ep. LXXXVIII, 37: *Protagoras ait, de omni re in utramque partem disputari posse ex aequo: et de hac ipsa, an omnis res in utramque partem disputabilis sit.* Idem, hanc nimiam subtilitatem vocans et infestam veritati, eodem respicit in ead. ep. 38: *si Protagorae credo, nihil in rerum natura est nisi dubium;* — quamquam fatendum est eum Protagorae sententiam his verbis male expressisse, atque ex iis non obscure liquere, Senecam referendum esse ad illos Protagorae iudices, quos describit Sextus Emp. adv. math. VII, 60: *Πρωταγόραν τὸν Ἀβδηρίτην ἐγκατέλεξάν τινες τῷ χορῷ τῶν ἀναιρούντων τὸ κριτήριον φιλοσόφων, ἐπεί φησι πάσας τὰς φαντασίας* —. Quorum iudicium quam falsum sit, luce clarius apparebit iis, qui aliquanto melius sophistae philosophiam noverint.

Hoc autem Protagorae placitum de unaquaque re disputari posse, in causa fuisse videtur ut iniquius vulgo de eius dialectica iudicium sit latum; quae enim exercitationis aut sagacitatis suae hac in re ostendendae causa disputavit, effecerunt ut postea existimaretur non veritatem in unaquaque re spectasse, sed illud modo voluisse ut sua sententia victoriam reportaret. Hinc A. Gellius, N. A. V, 3, eum vocat *insincerum philosophum;* hinc Diog. Laërt. IX, 52: *καὶ σόφισμα τοῖς πραγματολογοῦσι προσήγαγε καὶ τὴν διάνοιαν ἀφεὶς, πρὸς τοὔνομα διελέχθη·* hinc iniquum

iudicium Isocratis, Hel. init., ubi Protagoras refertur inter eos de quibus ait: *εἰσί τινες, οἵ μέγα φρονοῦσιν, ἣν ὑπόθεσιν ἄτοπον καὶ παράδοξον ποιησάμενοι περὶ ταύτης ἀνεκτῶς εἰπεῖν δυνηθῶσι.* Eodem spectant Dion. Halic. l. l. sup. p. 70; Timonis Sillus apud Diog Laërt. l. l. et apud Sext. Emp. adv. math. IX, 57; hinc quoque traditiones illae, quibus de rebus futilibus disputans inducitur; e. g. apud Simplicium in Phys. p. 255 A, ubi Zeno sic alloquitur Protagoram. *Ἐιπὲ γάρ μοι, ἔφη, ὦ Πρωταγόρα, ὁ εἷς κέγχρος καταπεσὼν ψόφον ποιεῖ ἢ τὸ μυριοστὸν τοῦ κέγχρου; — τοῦ δὲ εἰπόντος μὴ ποιεῖν, — Ὁ δὲ μέδιμνος, ἔφη, τῶν κέγχρων καταπεσὼν ποιεῖ ψόφον ἢ οὔ; — τοῦ δὲ ψοφεῖν εἰπόντος τὸν μέδιμνον, — Τί οὖν, ἔφη ὁ Ζήνων, οὐκ ἔστι λόγος τοῦ μεδίμνου τῶν κέγχρων πρὸς τὸν ἕνα καὶ τὸ μυριοστὸν τοῦ ἑνός; — τοῦ δὲ φήσαντος εἶναι, — Τί οὖν, ἔφη ὁ Ζήνων, οὐ καὶ τῶν ψόφων ἔσονται λόγοι πρὸς ἀλλήλους οἱ αὐτοί; ὡς γάρ τὰ ψοφοῦντα, καὶ οἱ ψόφοι. τούτου δὲ οὕτως ἔχοντος, εἰ ὁ μέδιμνος τοῦ κέγχρου ψοφεῖ, ψοφήσει καὶ ὁ εἷς κέγχρος καὶ τὸ μυριοστὸν τοῦ κέγχρου.* (cf. Arist. Phys. VII, 5); — et apud Plutarchum in Pericl. cap. 36: *Πεντάθλου γάρ τινος ἀκοντίῳ πατάξαντος Ἐπίτιμον τὸν Φαρσάλιον ἀκουσίως καὶ κατακτείναντος, ἡμέραν ὅλην ἀναλῶσαι* (Periclem) *μετὰ Πρωταγόρου, διαποροῦντα, πότερον τὸ ἀκόντιον ἢ τὸν βαλόντα μᾶλλον ἢ τοὺς ἀγωνοθέτας κατὰ τὸν ὀρθότατον λόγον αἰτίους χρῆ*

τοῦ πάθους ἡγεῖσθαι (1). — Nimirum posteriores illi non distinxerunt exercitationes dialecticas a philosophia Protagorea, unde multos errores exstitisse necesse est.

Et revera si dialectica consideratur tamquam ars aut instrumentum aliquod quo mentis acumen excitatur, huius totius artis culmen hoc est, ut thesis quae videtur vix defendi posse, tamen ab adversario deiici nequeat; hanc fuisse communem sophistarum et philosophorum professionem eosque hanc ob causam a populo in contemtu habitos esse, vidimus ad Apol. Socr. pag. 18 et 23. Cicero in Bruto VIII, 30, tradit hanc fuisse professionem Gorgiae, Thrasymachi, Protagorae, Prodici, Hippiae, multorumque aliorum. Eos autem hac arte non semper exercitationis causa usos esse, sed saepe ut falsa auditoribus suis persuaderent, negare nollem, et de Protagora idem testari nonnullos auctores liquet ex

---

(1) Vereor enim ne subtilius quam verius sint disputata, quae leguntur apud *Hegel*, *Gesch. der Philos.* vol. II, p. 28 sq.: *Protagoras kam auch nach Athen und hat dort lange, vornehmlich mit dem groszen Perikles gelebt, der auch in diese Bildung einging. So sollen Beide einst einen ganzen Tag darüber gestritten haben, ob der Wurfspiesz, oder der Werfende, oder derjenige, der die Wettspiele veranstaltet, schuld sey am Tode eines Menschen, der dabei umgekommen. Es ist ein Streit über die grosze und wichtige Frage der Zurechnungsfähigkeit —.*

Aristotele Rhet. II, 24: *καὶ τὸ τὸν ἥττω δὲ λόγον κρείττω ποιεῖν, τοῦτο ἐστι.* Καὶ ἐντεῦθεν δικαίως ἐδυσχέραινον οἱ ἄνθρωποι τὸ Πρωταγόρου ἐπάγγελμα· — Gell. N. A. V, 3: *Is tamen Protagoras, insincerus quidem philosophus, sed acerrimus sophistarum fuit; pecuniam quippe ingentem cum a discipulis acciperet annuam, pollicebatur se id docere, quanam verborum industria causa infirmior fieret fortior, quam rem Graeci ita dicebant: τὸν ἥττω λόγον κρείττω ποιεῖν.* Cf. Steph. Byzant. in v. Ἄβδηρα. Ulterius etiam processit scholiasta ad Arist. Nub. v. 113: *ψεύδεται κἀνταῦθα ὁ κωμικὸς λέγων παρὰ Σωκράτει εἶναι τὸν ἄδικον λόγον. οὐ γὰρ Σωκράτης ἀλλὰ Πρωταγόρας ὁ Ἀβδηρίτης ἐφεῦρε αὐτὸν καὶ ἐδίδασκεν.* — At sane mirum est apud Platonem, acerrimum illum sophistarum obtrectatorem, nihil eiusmodi de Protagora inveniri; nam in iis, quae in Theaeteto et in Protagora disputans fingitur, nusquam inveniuntur vestigia illius generis per sophismata disputandi, qualia apud eundem auctorem habemus de Thrasymacho in Rep. I, 336 B sqq., aut de Euthydemo et Dionysodoro in cognomine dialogo. At, ni fallor, hoc in primis in Protagorae causa tenendum est, cum propter exiguam notitiam quam auctores posterioris aevi de eo habuerunt, et propter professionem suam, se esse sophistam, saepe cum vulgaribus istis sophistis confusum esse, et hinc multa quae vilissimis huius gentis convenirent, in Protagoram quoque translata fuisse.

De dialectica autem Protagorea haec quaestio oritur: nonne principio illo, hominem esse omnium rerum mensuram, dialectica prorsus tollitur? — Vid. Theaet. 161 E: *οἶμαι δὲ καὶ ξύμπασα ἡ τοῦ διαλέγεσθαι πραγματεία. Τὸ γὰρ ἐπισκοπεῖν καὶ ἐπιχειρεῖν ἐλέγχειν τὰς ἀλλήλων φαντασίας τε καὶ δόξας, ὀρθὰς ἑκάστου οὔσας, οὐ μακρὰ μὲν καὶ διωλύγιος φλυαρία, εἰ ἀληθὴς ἡ Ἀλήθεια Πρωταγόρου, ἀλλὰ μὴ παίζουσα ἐκ τοῦ ἀδύτου τῆς βίβλου ἐφθέγξατο.* Ad hanc obiectionem refutandam, iterandum est, quod iam saepius monuimus: dialectica efficere nequit ut quod aliquis sentit id non sentiat, sed quum philosophia eo tendat ut utile inveniatur, sophista dialectica sua efficere debet, ut homines ipsi ita sentiant ut et sibi ipsi et civitati optime prospiciant (Theaet. 166 sqq.). Hac ratione dialectica minime tollitur, imo, si recte adhibetur, est optima methodus, qua aliquis e mutua cum aliis cogitatorum communicatione illud quod utile est invenire discat.

Et quamquam verum est Protagorae sententiam fuisse neminem false sentire posse, cavendum tamen est ne ipsi Protagorae (*τοῖς ἀμφὶ Πρωταγόραν καὶ ἔτι παλαιοτέροις* Crat. 286 C) tribuamus quae imputanda sunt aliis. Nimirum alii sophistae, ut Euthydemus et Dionysidorus, viri placitis ita abutebantur ut statuerent alterum alteri de eadem re contradicere non posse (vid. Euthyd. 283 E sqq., 285 D sq.); hinc quoque docebant: *πᾶσι πάντα ὁμοίως εἶναι ἅμα καὶ*

ἀεί, Crat. 386 D; cf. p. 429 C; Sophist. 236 E et 259 E); quo posito revera dialectica tollitur. Hoc discrimen inter Protagoram et Euthydemum recte describit Proclus ad Plat. Orat. 386 D: ὅτι ἄλλο τὸ Πρωταγόρου δόγμα καὶ ἄλλο το Εὐθυδήμου· τὸ μὲν γὰρ λέγει, ὅτι ουδὲν ὂν τὸ ὑποκείμενον φαντάζεται τοιὸν ἢ τοιὸν παρὰ τοῖς αἰσθανομένοις διὰ τὴν σύμμιξιν τοῦ ποιοῦντος καὶ πάσχοντος· τὸ δὲ τοῦ Εὐθυδήμου ἕκαστον ποιεῖ τὰ πάντα ὂν ἅμα καὶ ἀεί, καὶ πάντα ἀληθεύειν. Et Plato id quoque indicat, quum in Cratylo seorsim Protagorae (386 A) et Euthydemi (ib. D) placitum memoret. Quam absurdum sit eiusmodi placitum, ipsi illi sophistae ostendebant, quum nihilominus culmen totius artis suae in dialectica ponerent. Protagoras artem suam dialecticam exposuisse videtur in libro inscripto τέχνη ἐριστικῶν, memorato a Diogene Laërtio IX, 55.

Restat ut nonnulla moneamus de Protagorae *dicendi genere* universe. Hoc optime e Platonis Protagora cognosci posse testatur Philostratus in vita (sup. p. 8).

Digna sunt quae hic adscribantur, quae exposuit GROEN VAN PRINSTERER l. l. p. 82:

» Mythus Protagorae non caret quidem ille elegantia » et venustate, neque admodum premenda videtur » suspicio Astii p. 71, qui putat hac ipsa fabula, » quod in ea artium civitatumque ortus ex indigentia » repetuntur, humilem sophistae et abiectam indolem » notari....." et p. 83: » Non omittendum est

» quod HEINDORF, ad Prot. p. 505, 509, monuit, Pla» tonem dictionem Protagorae, quae redundabat or» namentis expressisse. Multa certe eius sermoni » apparet inesse a Platonis ratione aliena, nec pro» babile est, quod in Hippia fecit et Prodico, ut sonum » orationis imitaretur, idem ipsum in Protagora non » fecisse. Sed quo grandius fuit Protagorae dicendi » genus, eo magis mirandum exiles inveniri in media » oratione sententias et nil nisi modo dicta aut mox » dicenda continentes. Nam si, postquam narratum » esset Prometheum τὴν ἔντεχνον σοφίαν σὺν πυρί » hominibus donasse, haec sequerentur: ἐπειδὴ δὲ » ὁ ἄνθρωπος θείας μετέσχε μοίρας, πρῶτον μὲν, » διὰ τὴν τοῦ θεοῦ συγγένειαν ζώων μόνον θεούς ἐνό» μισε et quae p. 322 A, plura leguntur, quis tandem » aliquid requireret, aut non omnia optime inter se » nexa putaret esse? Nunc vero hoc dicitur: τὴν » μὲν οὖν περὶ τὸν βίον σοφίαν ἄνθρωπος ταύτῃ ἔσχε, » τὴν δὲ πολιτικὴν οὐκ εἶχεν. ἦν γὰρ παρὰ τῷ Διΐ, » id quod primum hoc loco est ineptum, deinde alio » mox loco exponitur: πολιτικὴν γὰρ τέχνην οὔπω » εἶχον — Ζεὺς οὖν δείσας, etc. p. 322 B, C. Tum » quae p. 321 C de igni erepto referuntur, eadem p. » 321 D, E, et p. 322 A in verbis τῷ δὲ Προμηθεῖ » εἰς μὲν τὴν ἀκρόπολιν — κλοπῆς δίκη μετῆλθεν, » paulo fusius repetita sunt, et ita quidem, ut potius » glossatoris, antiquissimi tamen, sedulitatem referre, » quam elegantiam Protagorae videantur. Quidquid

ἀεί, Crat. 386 D; cf. p. 429 C; Sophist. 256 E et 259 E); quo posito revera dialectica tollitur. Hoc discrimen inter Protagoram et Euthydemum recte describit Proclus ad Plat. Orat. 386 D: *ὅτι ἄλλο τὸ Πρωταγόρου δόγμα καὶ ἄλλο το Εὐθυδήμου· τὸ μὲν γὰρ λέγει, ὅτι ουδὲν ὂν τὸ ὑποκείμενον φαντάζεται τοιὸν ἢ τοιὸν παρὰ τοῖς αἰσθανομένοις διὰ τὴν σύμμιξιν τοῦ ποιοῦντος καὶ πάσχοντος· τὸ δὲ τοῦ Εὐθυδήμου ἕκαστον ποιεῖ τὰ πάντα ὂν ἅμα καὶ ἀεί, καὶ πάντα ἀληθεύειν.* Et Plato id quoque indicat, quum in Cratylo seorsim Protagorae (386 A) et Euthydemi (ib. D) placitum memoret. Quam absurdum sit eiusmodi placitum, ipsi illi sophistae ostendebant, quum nihilominus culmen totius artis suae in dialectica ponerent. Protagoras artem suam dialecticam exposuisse videtur in libro inscripto *τέχνη ἐριστικῶν*, memorato a Diogene Laërtio IX, 55.

Restat ut nonnulla moneamus de Protagorae *dicendi genere* universe. Hoc optime e Platonis Protagora cognosci posse testatur Philostratus in vita (sup. p. 8).

Digna sunt quae hic adscribantur, quae exposuit GROEN VAN PRINSTERER l. l. p. 82:

» Mythus Protagorae non caret quidem ille elegantia » et venustate, neque admodum premenda videtur » suspicio Astii p. 71, qui putat hac ipsa fabula, » quod in ea artium civitatumque ortus ex indigentia » repetuntur, humilem sophistae et abiectam indolem » notari......" et p. 83: » Non omittendum est

» quod HEINDORF, ad Prot. p. 505, 509, monuit, Pla» tonem dictionem Protagorae, quae redundabat or» namentis expressisse. Multa certe eius sermoni » apparet inesse a Platonis ratione aliena, nec pro» babile est, quod in Hippia fecit et Prodico, ut sonum » orationis imitaretur, idem ipsum in Protagora non » fecisse. Sed quo grandius fuit Protagorae dicendi » genus, eo magis mirandum exiles inveniri in media » oratione sententias et nil nisi modo dicta aut mox » dicenda continentes. Nam si, postquam narratum » esset Prometheum *τὴν ἔντεχνον σοφίαν σὺν πυρί* » hominibus donasse, haec sequerentur: *ἐπειδὴ δὲ* » *ὁ ἄνθρωπος θείας μετέσχε μοίρας, πρῶτον μὲν,* » *διὰ τὴν τοῦ θεοῦ συγγένειαν ζώων μόνον θεούς ἐνό-* » *μισε* et quae p. 322 A, plura leguntur, quis tandem » aliquid requireret, aut non omnia optime inter se » nexa putaret esse? Nunc vero hoc dicitur: *τὴν* » *μὲν οὖν περὶ τὸν βίον σοφίαν ἄνθρωπος ταύτῃ ἔσχε,* » *τὴν δὲ πολιτικὴν οὐκ εἶχεν. ἦν γὰρ παρὰ τῷ Διΐ,* » id quod primum hoc loco est ineptum, deinde alio » mox loco exponitur: *πολιτικὴν γὰρ τέχνην οὔπω* » *εἶχον — Ζεὺς οὖν δείσας*, etc. p. 322 B, C. Tum » quae p. 321 C de igni erepto referuntur, eadem p. » 321 D, E, et p. 322 A in verbis *τῷ δὲ Προμηθεῖ* » *εἰς μὲν τὴν ἀκρόπολιν — κλοπῆς δίκη μετῆλθεν,* » paulo fusius repetita sunt, et ita quidem, ut potius » glossatoris, antiquissimi tamen, sedulitatem referre, » quam elegantiam Protagorae videantur. Quidquid

» huius rei sit, id certe existimo Platonem non leniter
» Protagoram et remisse, sed veluti coryphaeum et
» εὐδοκιμοῦντα ἀθλητὴν maximis esse viribus adgres-
» sum, cum prospiceret, hoc devicto, fore qui sibi
» resisteret neminem."

At valde miror viros doctos has proprietates in genere scribendi Protagorae invenisse in mytho illo, non vero animadvertisse in iis quae proxime sequuntur et cum hoc mytho arctissime cohaerent. Ut unum alterumve exemplum proferam, p. 323 E habes: ἐπὶ τούτοις που οἵ τε θυμοὶ γίγνονται καὶ αἱ κολάσεις καὶ αἱ νουθετήσεις, et post aliquot verba iterum: ἔνθα δὴ πᾶς παντὶ θυμοῦται καὶ νουθετεῖ. — Pag. 324 A sic pergit: δῆλον ὅτι ὡς ἐξ ἐπιμελείας καὶ μαθήσεως κτητῆς οὔσης, et paulo post iterum: τοιαύτην διάνοιαν ἔχων διανοεῖται παιδευτὴν εἶναι ἀρετήν. Mirum est, quoties iteret, quam ob causam homines alios poena afficiant: p. 324 B: ἀποτροπῆς γοῦν ἕνεκα κολάζει, tum ib. C.: ταύτην οὖν τὴν δόξαν πάντες ἔχουσιν, ὅσοιπερ τιμωροῦνται, et tandem statim deinceps: τιμωροῦνται δὲ καὶ κολάζονται οἵ τε ἄλλοι ἄνθρωποι οὓς ἂν οἴωνται ἀδικεῖν. Multa exempla, qualia citat Groen van Prinsterer, in hac quoque orationis Protagoreae parte adsunt; pauca haecce tantummodo attuli ut ostenderem, si hoc fuerit Protagorae genus dicendi, id non solum in mytho inveniri sed etiam aliis locis, ubi Protagoras loquens inducitur. Hinc maxime labefactatur eorum sententia qui putant mythum

illum esse fragmentum ex opere Protagorae aliquo deperdito, nam vix statui potest caetera omnia quae Plato Protagoram dicentem facit esse cuncta fragmenta ex libris deperditis, quod tamen eodem iure concludere liceret (Cf. sup. p. 127).

FRAGMENTA.

Duo Platonis dialogi *Protagoras* et *Theaetetus* soli sunt fontes unde Protagorae dicendi genus cognosci possit; nam pauca tantum librorum fragmenta supersunt, quae hic collecta memorabimus.

I.

Plutarchus Cons. ad Apollonium cap. 33: Περικλέα δέ, τὸν καὶ Ὀλύμπιον προσαγορευθέντα διὰ τὴν περὶ τὸν λόγον καὶ τὴν σύνεσιν ὑπερβεβλημένην δύναμιν, πυθόμενον ἀμφοτέρους αὐτοῦ τοὺς υἱοὺς μετηλλαχέναι τὸν βίον, Πάραλόν τε καὶ Ξάνθιππον, ὥς φησι Πρωταγόρας, εἰπὼν οὕτως· » Τῶν γὰρ υἱέων νεηνιῶν
» ὄντων καὶ καλῶν, ἐν ὀκτὼ δὲ ταῖς πάσῃσιν ἡμέρῃσιν
» ἀποθανόντων, νηπενθέως ἀνέτλη. εὐδίης γὰρ εἴχετο.
» ἐξ ἧς πολλὸν ὤνητο κατὰ πᾶσαν ἡμέρην εἰς εὐποτ-
» μίην καὶ ἀνωδυνίην, καὶ τὴν ἐν τοῖς πολλοῖσι δό-
» ξαν. πᾶς γάρ τίς μιν ὁρῶν τὰ ἑωυτοῦ πένθεα ἐρρω-
» μένως φέροντα, μεγαλόφρονά τε καὶ ἀνδρεῖον ἐδόκει

» εἶναι καὶ ἑωυτοῦ κρείσσω· κάρτα εἰδὼς τὴν ἑωυτοῦ
» ἐν τοιοῖςδε πράγμασι ἀμηχανίην."

Incertum est cuinam Protagorae libro hoc fragmentum adscribi debeat; ac nescio quo iure FREI putet haec verba contenta fuisse in libro περὶ τῶν οὐκ ὀρθῶς τοῖς ἀνθρώποις πρασσομένων, contra GEEL et HERBST, in libro περὶ ἀρετῶν. Posteriores hi fortasse ita statuerunt, putantes in libro περὶ ἀρετῶν expositum fuisse de virtutis generibus, tum aliis tum etiam de temperantia; at Protagoram in hoc libro non exposuisse de *virtute*, quae ita vere dicitur, efficias e significatione quam vocabulo ἀρετῇ tribuere solebat (cf. sup. p. 132). Nec necesse est ut hoc fragmentum sit ex uno alterove eorum librorum quorum titulos cognovimus, praesertim quum Hermannus demonstrare conatus sit, illud fragmentum ad Plutarchum pervenisse per *Crantorem* (Frei p. 182).

Caeterum ex hoc loco liquet, Protagoram usum esse *dialecto Ionica*, quod repetendum est ex Abderitarum origine Ionica (vid. quaest. I).

II.

Πάντων χρημάτων μέτρον ἄνθρωπος, τῶν μὲν ὄντων ὡς ἔστι, τῶν δε μὴ ὄντων, ὡς οὐκ ἔστιν. (Vid. sup. p. 102 sq.).

III.

Φύσεως καὶ ἀσκήσεως διδασκαλία δεῖται, καὶ ἀπὸ

νεότητος δὲ ἀρξαμένους δεῖν μανθάνειν (vid. sup. p. 129).

IV.

Μηδέν ἐστι μήτε τέχνη ἄνευ μελέτης μήτε μελέτη ἄνευ τέχνης (Ib.).

V.

Περὶ μὲν θεῶν οὐκ ἔχω εἰδέναι οὔθ᾽ ὡς εἰσὶν, οὔθ᾽ ὡς οὐκ εἰσίν· πολλὰ γὰρ τὰ κωλύοντα εἰδέναι, ἥ τ᾽ ἀδηλότης καὶ βραχὺς ὢν ὁ βίος τοῦ ἀνθρώπου (vid. sup. p. 145 sqq.).

EPILOGUS.

De fonte philosophiae Protagoreae, sive *de magistro Protagorae.*

Disquisitione nostra de philosophia Protagorea peracta redeundum erit ad illud quod p. 41 omittere debebamus, ad quaestionem de Protagorae magistro. Quod autem ibi historiae ope probare conati sumus, Protagoram Democriti discipulum fuisse, non, quod multi inter recentiores statuerunt, Heracliti, idem nunc, ipsa viri philosophia adhibita, perficere studebimus.

Argumenta, quibus Frei p. 101—110 et Weber p. 45—47, demonstrare conantur Protagoram fuisse Heracliti discipulum, accurate perpensa, duo esse inveniuntur, quorum alterum hoc est:

» Protagoras exemplo Heracliti dicebat omnia in » motu esse; Protagoras enim statuebat *meram mo-*

» *tionem* esse rerum omnium principium, Heraclitus » *ignem*, quae est imago quaedam qua motio quasi » manifestatur; igitur hac in re cum Heraclito plane » congruit" (1).

Haec false disputata esse iam vidit, Frei cui praeivit Weber p. 46 sq.

Verum quidem est Protagoram posuisse in exordio nihil affuisse nisi meram motionem, sed minime hinc sequitur eam idem esse atque ignem illum Heracliti, qui ei est id, e quo omnia orta sunt, in quod omnia redeunt, sed simul id, quod in aeterna rerum mutatione *unum idemque* manet (2). Vidimus autem (sup. p. 84 sq.) Protagoram motui suo hanc ob causam prioritatem prae rebus creatis adsignasse, ut hoc urgeret, sine motu nihil umquam affuisse, at vel sic tamen motum non esse substantiam aliquam sed rerum praedicamentum. Porro discrimen inter Heracliti et Protagorae motum indicavimus sup. p. 157 sq.

Alterum argumentum est: » ex Platonis Theaeteto » luce clarius apparet Heracliteis annumerandum esse » Protagoram" (3). — Inspiciamus ipsos locos quos citant; prior est in Theaet. p 152 E: *ἔστι μὲν γὰρ οὐδέποτ' οὐδέν, ἀεὶ δὲ γίγνεται. καὶ περὶ τούτου πάν-*

(1) Vid. *Frei* p. 102 et omnino p. 79.

(2) Cf. *Heracl.* apud *Clem. Alex. Strom.* V, p. 549 B, C.

(3) *Frei* p. 107; *Weber* p. 46.

τες ἑξῆς οἱ σοφοὶ πλὴν Παρμενίδου ξυμφέρεσθον Πρωταγόρας τε καὶ Ἡράκλειτος καὶ Ἐμπεδοκλῆς, καὶ τῶν ποιητῶν οἱ ἄκροι τῆς ποιήσεως ἑκατέρας, κωμῳδίας μὲν Ἐπίχαρμος, τραγῳδίας δὲ Ὅμηρος. At si veterum testimoniis ita abuti liceat, ut ex hoc loco concludi possit Protagoram fuisse Heracliti discipulum, mihi ex eodem loco affirmare licet, fuisse e. g. Homerum discipulum Protagorae. Hac enim ratione absurdissima quaeque probari possunt. Alter Platonis locus est in Theaet. p. 179 D, ubi Theodorus dicit: *πολλοῦ καὶ δεῖ φαύλη εἶναι* (scil. *ἡ μάχη περὶ τῆς φερομένης οὐσίας*), *ἀλλὰ περὶ μὲν τὴν Ἰωνίαν καὶ ἐπιδίδωσι πάμπολυ. οἱ γὰρ τοῦ Ἡρακλείτου ἑταῖροι χορηγοῦσι τούτου τοῦ λόγου μάλα ἐῤῥωμενῶς.* Ergo quod Theodorus dicat Heracliteos multum disputare de principio omnia semper in motu esse, quodque Protagoras idem hoc principium teneret, propterea statuunt hunc fuisse Heracliti discipulum. At iidem hic quoque non animadvertunt, Theodorum paulo post (l. l. E) non solum Heracliteos huius principii vindices appellare, sed etiam ***Homericos et antiquiores etiam***, ipsumque Protagorae discipulum vehementer invehi in horum omnium philosophandi rationem. Quicumque igitur non prorsus praeiudicata opinione abreptus est, e locis citatis nihil amplius efficiet, nisi hoc: Protagoras statuit motum esse sempiternum; idem principium iam habuerunt poëtae et philosophi antiquiores multi (in primis Ionici), inter quos quoque numerandi Heraclitei.

Universe in Heracliti placitis nihil invenire possum quod fuerit fons philosophiae Protagoreae, nec illi ipsi qui hoc contendunt aliquid afferunt, nisi hoc, sempiternum illum motum utrique philosopho communem esse. Ac nescio an quid perversius excogitari possit quam si Protagorae sensualismus repetatur ab Heraclito, qui sensibus omnem fidem detrahens, prope ad scepticismum accedebat (1). Qua de re Hermann (2) recte contendit, eandem rationem inter Enthydemum, cuius satis notum illud: *πᾶσι πάντα ὁμοίως εἶναι ἅμα καὶ ἀεί*, et Heraclitum intercedere, atque inter Protagoram et Democritum.

Facile quidem, quod fecit Frei, multa colliguntur quibus Protagoram a Democrito dissensisse pateat, sed si de fonte inquirimus, non ponimus fontem esse ipsum flumen, nec si dicimus Protagoram fuisse Democriti discipulum, significare volumus Protagoram fuisse ipsum Democritum. Lubenter fatemur, sunt multa quibus discipulus a magistro dissentiebat, imo verum esse potest quod testatur Plutarchus adv. Colot. tom. II, p. 1109 A: *ἀλλὰ τοσοῦτόν γε Δημόκριτος ἀποδεῖ τοῦ νομίζειν μὴ μᾶλλον εἶναι τοῖον ἢ τοῖον, ὥςτε Πρωταγόρᾳ τῷ σοφιστῇ τοῦτο εἰπόντι μεμαχῆσθαι καὶ γεγραφέναι πολλὰ καὶ πιθανὰ πρὸς αὐτόν*, et Sext. Emp. adv. math. VII, 389: *πᾶσαν μὲν οὖν*

---

(1) Vid. quos laudat *Zeller*, l. l. p. 158 sq.

(2) *Zeitschr. für Alterth.* p. 370.

φαντασίαν οὐκ εἴποι τις ἀληθῆ διὰ τὴν περιτροπήν, καθὼς ὅ τε Δημόκριτος καὶ ὁ Πλάτων ἀντιλέγοντες τῷ Πρωταγόρᾳ ἐδίδασκον· nam sponte liquet, quum discipulus multis in rebus aliam viam iniret, id magistrum aegre tulisse.

Nobis autem sufficiet quasi digito indicasse e quibusnam Democriti placitis Protagoras philosophiam suam haurire potuerit, et hac ratione confirmasse id quod iam antea ex historiae testimoniis didicimus.

De Democriti pleno et inani deque eius motu perpetuo ex his orto, accurate plerumque disputat Mullach p. 376 sqq.; quare nolo iterare quae hic iam exposuit, sed hoc unice animadvertere, Protagoram, quum, uti videtur, de materie aliqua non investigaverit, hoc magistri sui principium arripuisse, motum esse aeternum (Mull. p. 382) et per eum ἐκ τοῦ μὴ ὄντος ortum esse τὸ ὄν (1).

Placitum de mutua actione etiam apud Democritum invenimus; dicebat enim ex uno non fieri posse multa, neque e multis unum, et e variis modis quibus coniunctio fit oriri τὸ ποιεῖν et τὸ πάσχειν rerum inter se, et similia modo a similibus affici (2), quod de Protagora ita enuntiat Philoponus: τῶν

---

(1) Vid. omnino p. 84 et quae ibi in annot. de Democrito adscripsimus.

(2) Vid. quos laudant *Mullach*, p. 180 et *Ritter*, *Gesch. der Philos.* I, p. 569.

πραγμάτων ἐν κινήσει ὄντων δεῖν καὶ τὸ γιγνῶσκον τὰ πράγματα ἐν κινήσει εἶναι — τὸ γὰρ ἑστὼς πῶς ἂν γνοίη τὸ κινούμενον (1).

Apud Protagoram ex hac mutua actione oriuntur rerum qualitates; nam per se nihil est. Democritus vero statuebat (Theophr. de sensu 61 sqq.): » grave, » leve, durum et molle pendere a maiore aut minore » atomorum densitate, caeteras autem res perceptas » per se nullam habere naturam, sed omnes esse » effectus affectionis mutantis sensuum nostrorum; » non existere enim naturam frigidi et calidi, sed » nostram immutationem etiam hanc formam (σχῆμα) » mutatam efficere; ...... quod nobis est dulce, » idem aliis est amarum, aliis acerbum." — Hinc dicebat (Sext. Emp. adv. math. VII, 135): » νόμῳ » γλυκὺ, καὶ νόμῳ πικρὸν, νόμῳ θερμὸν, νόμῳ ψυ- » χρὸν, νόμῳ χροιή. ἐτεῇ δὲ ἄτομα καὶ κενόν." Hac autem ratione philosophum vehementer secum pugnasse, quippe qui aliis locis certas qualitates ipsis atomis adscripserit, iam notavit Ritter (2). Protagoram autem omnem repugnantiam hac in re removisse ex huius philosophia didicimus.

Quod ad criterium veritatis attinet, Democritum pariter dubitantem invenimus, ubi Protagoras iam in-

---

(1) Vid. *Hermann*, l. l. p. 371.

(2) *Zusätze und Verbesserungen zu den 4 ersten Theilen der Gesch. der Phil.* p. 53 sqq.

ciderat in absolutum suum sensualismum. Etenim ille statuebat duo esse genera cognitionis, sensuum perceptionem et mentis cognitionem (Sext. Emp. adv. math. VII, 138). Quamquam sensuum perceptionem tamquam fundamentum omnis cognitionis ponebat (vid. Sext. l. l. 136), ita ut idem ei valerent *sentire* et *cogitare* (Mull. p. 400), tamen postea iis fidem negavit, nam quod mihi videtur id alii fortasse non videtur, utriusque autem perceptio eodem iure vera est, itaque hac ratione id quod verum est inveniri nequit (Arist. met. III, 5). Hinc sensuum cognitionem appellat *obscuram*, mentis autem *sinceram* (Sext. Emp. l. l. 138). At bene animadvertunt Ritter et Preller (1), hanc ipsam sinceram cognitionem ἐν φαινομένῳ versari, verum id, quod per ipsam percipitur, esse subtilius et a sensibus remotius. Quae repugnantia iam notatur a Theophrasto de sensu 69: ὅλως δὲ μέγιστον ἐναντίωμα καὶ κοινὸν ἐπὶ πάντων ἅμα μὲν πάθη ποιεῖν τῆς αἰσθήσεως (sc. τὰ αἰσθητά) ἅμα δὲ τοῖς σχήμασι διορίζειν. Tandem si eodem auctore animadvertis ipsam illam sinceram cognitionem Democrito nihil aliud fuisse nisi subtiliorem sensuum et corporis constitutionem (2), nemo mirabitur

(1) *Hist. phil. Graeco Romanae ex fontium locis contexta.* 1838, p. 53.

(2) Erat enim ei animus nihil nisi compages atomorum subtiliorum, *Mullach*, p. 397.

Protagoram obscuram illam sensuum cognitionem solam arripuisse, quo ipso omnem repugnantiam in magistri placitis tollebat (1).

Porro id quod Protagoras iubebat, utile et sui commodum semper spectandum esse, neque hac in re longe aberravit a magistri institutione, qui ultimum bonum posuerat in animi tranquillitate (2), cuius optima effectrix est sapientia (Stob. Serm. III, 34). Ac licet verum sit, Democritum praecepta moralia dedisse, tamen quam vehementer haec pugnent cum eius doctrina materialistica, iam notavit Mullach p. 160 sqq.

Satis autem consequenter Democritus docuisse videtur, ea quae legibus iubeantur hominum arbitrio deberi (3).

Si porro attendis ad Democriti opinionem de diis, docentis simulacra ingentia, bona et mala, nos perpetuo adire, quae antiquitus pro diis essent habita (Mull. p. 409 sq.), et magnam partem omnem fidem deorum tollentis (Sext. l. l. 24), vix aliter fieri potuit quin alter ipsius discipulorum, Protagoras, diceret se

(1) Cf. omnino *Hermann*, l. l. p. 369.

(2) Vid. *Diog. Laërt.* IX, 45; *Seneca*, *de tranqu.* 2, 3; *Cic. fin.* V, 29. Cf. *Mull.* p. 416.

(3) Vid. *Mull.* pp. 195, 198 sq.; cf. *T. C. von Baumhauer*, *de vi quam sophistae habuerint Athenis ad aetatis suae disciplinam, mores ac studia immutanda.* Trai. 1844, p. 9.

de diis nescire utrum essent an non essent; alter vero, Diagoras, ulterius progrediens, negaret omnino deos esse. Quod autem in fabula de Prometheo nobis patuit, Protagoram, quoties populariter doceret, vulgares de diis opiniones secutum esse, idem de Democrito quoque monet Mullach p. 413.

In re grammatica iam eatenus Democritus discipulo suo viam munivisse videtur, quatenus inter eius scripta memoratur Περὶ Ὁμήρου ἢ ὀρθοηπείης καὶ γλωσσέων, de cuius libri argumento non alieno ab ὀρθοεπείᾳ illa Protagorea, vid. Mullach, p. 148.

Caeterum Democriti ingenium sophisticum bene notavit Ritter l. l. p. 563 sq.

Propter haec omnia non parum mihi videtur confirmari historiae testimonium, Protagoram fuisse Democriti discipulum. Quod vero nonnumquam a magistro dissentiret, haec causa est, quod Protagoras sensualismo philosophiam superstruxit, quum Democritus tantum in illam viam praecipitem ita propendisset, ut ipsius philosophia firmo stabilique fundamento careret, et ipse secum frequenter pugnaret.

THESES.

I.

Protagoras Abderita, Artemonis filius, natus est a°. 481 vel 480, vita defunctus a°. 411.

II.

Idem Democriti discipulus fuit, quod probat quum historia, tum accuratum studium utriusque philosophiae.

III.

Omnium primus Protagoras absolutum, quem dicimus, sensualismum professus est.

IV.

Democritus natus est a°. 494, vita defunctus a°. 404.

V.

Nullo iure plurimi e recentioribus negant Democritum provecta aetate lumina amisisse.

VI.

Democritus parum sibi constitit in materialismo.

VII.

Colloquium in Platonis Protagora habitum esse fingitur circa annum 430.

VIII.

Quae continentur ҈ 7 *opusculi* OPZOOMER *Viri Cl.*, de Weg der Wetenschap, *multis modis sibi contradicunt.*

IX.

Distributio iudiciorum in universalia et particularia probe distinguenda est ab altera illa in absoluta, generalia et singularia, quam omisit Aristoteles, eo quod ei solummodo sermo est de formali iudiciorum natura.

X.

Ii qui auctores classicos Graecos Latinosque in recentiorum linguas vertunt, censendi sunt laborem non valde utilem suscepisse.

XI.

Improbandi sunt ii, qui sine diligenti studio Codicum MSS. coniecturas et emendationes proponunt.

XII.

E falsa interpretatione Platonis Timaei, *in quo* (*pag.* 55 *D*) *legimus:* γῇ μὲν δὴ τὸ κυβικὸν εἶδος δῶμεν, *tales errores profluxerunt, quales deprehendimus apud* G. W. MUNCKE (Handbuch der Mathem. und Phys. geographie, *Heidelb.*, 1830, *p.* 2): » *Plato, nach den Pythagoräern, hielt sie* (*die Erde*) *für einen Wurfel* —" (*cf.* GEHLER, *Physikalisch Wörterb. art. Erde, III, p.* 833), *et* F. HOFFMANN (*Physikalische Geographie, Berlin* 1837, *pag.* 9): « *Plato gibt der Erde die Form eines Parallelopipeds* —".

XIII.

Praeclare TH. HENRI MARTIN (études sur le Timée de Platon, Paris 1841, tom. *I*, *p.* 257 *sqq.*) *refutat omnes, qui contendunt insulam Atlantidem umquam exstitisse in mari Atlantico, in America, in Africa, in Scandenavia, in mari Glaciali, Mediteraneo, vel alibi in mundo adspectabili.*

XIV.

Thurini usi sunt legibus Charondae, quas Protagoras ad eorum indolem et ad rationem temporum accommodavit.

XV.

Improbanda est opinio: foeminarum, quae dicuntur ἑταῖραι, *apud Athenienses maximam fuisse exis-*

timationem iisque eum esse tributum honorem, qui ingenuis matronis negari solebat.

XVI.

Edicta Praetorum perpetua, posterioribus Reipublicae Romanae temporibus ita dicta, probe distinguenda sunt ab edicto perpetuo ex Imp. Hadriani iussu a Salvio Iuliano confecto.

XVII.

Erat haec conditio reipublicae Romanae, eo tempore quo Augustus solus rerum potitus est, ut haec mutatio populo Romano quam maxime profuerit.

XVIII.

GOETHE *in tragoedia* Faust *id significare voluit, hominem peccando et a recta via aberrando ad summam salutem pervenire posse.*

XIX.

Immerito accusatur Wittius, *ac si subdole* Cromwello *auctor fuisset ab ordinibus Hollandiae petendi, ut principem Arausiacum paternis muneribus destituerent.*

XX.

Guilielmus II in rebus a°. 1650 contra Amstelodamum gestis id egit ut leges et iustitiam tueretur.